HOFMANN

DE USU
LIEN. ET CER.
DE ICHOR.
1664

MEDICAL SOCIETY
OF LONDON

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

ACCESSION NUMBER

PRESS MARK

HOFMANN, C.

65459/A
IX 2.
VI 2

FRANCISCI DE LE BOE SYLVII

Medicinæ Practicæ in Academia Lugduno - Batavâ Profeſſoris

COLLEGIUM Medico-Practicum

dictatum 1660.

FRANCOFURTI,
Apud Thomam Matthiam Götzium
Anno 1664.

Viro Prænobili, Ampliſſimo Excellentiſſi-
mo atque Experientiſſimo,

Domino

JOHANNI MICHAELIS

Hæreditario in Bendorff, Philo-
ſophiæ & Medicinæ Doctori, Faculta-
tis Medicæ in Alma Lipſienſi Decano,
Collegij Principum Minoris Collegia-
to, & Academiæ Decemviro, nec
non Illuſtriſſimi Principis Saxo-
niæ Altenburgi Archiatro &c.
Domino ac Patrono
ſuo Magno.

Mitto Tibi, Vir Nobiliſſime, opuſculum Medico-Practicum, quod paucis abhinc annis Auctor Excellentiſſimus Lugduni Batavorum auditoribus ſuis nova quadam & ſuccincta methodo ad calamū dictavit, ſed ſub nominis Tui tutela, typis ut vides, exſcriptum. Dignum enim omni *modo exiſtimant Viri optumi, quod non ſolum tyronum, ſed & veterum Practicorum manibus jugiter teratur, ſic & in complurium notitiam perveniat. Tantū docti in re therapeutica deſcribenda & explicanda uberius aut luculentius velint fuiſſet.* Ideoque principio etiam nonnihil *haſi dubius, quid cum eo faciendum mihi eſſet. Pervicit tamen eorundem Amicorū*

auctoritas, ut hac ratione Auctor CL. qui ante in diſputationibus publicum meruerat favorem, nunc Tuo patrocinio munitus, ſummo rei Medicæ bono in lucem excurrere juberetur. Non potui *heic denegare amicis, qui ſciunt omne juvandi exornandique rem medicam ſtudium depradicare: quemadmodum neque Tu, Vir Excellentiſſime, orbi litterario denegabis, ſi quid ad illuſtrandam atque amplificandã ſubinde artem excitare poteris. Deoque præclara Tua Opera cumprimis Pharmaceutica, de quibus nuperrime mihi ſpem feciſti, in manus ſumas, quo & ea in lucem, quam dudum meruerunt, apertam tandem producantur. Hoc optimo jure de me ipſum pronunciaverim, officiis & ſervitiis qualibuſcunque meis non eſſe denegaturum Et ſi meis ſumptibus promovere negocium omne velis, aut nitidiorem typin poſtulaturus, ita id procurabo, ut opus propediem in apricum prodeat. Erit inſuper gratiſſimum mihi, quia ſic apud Artis Medicæ filios non exiguam ponerem gratiam. Cæterum quid in rem meam futurum ſit, proſpicies. Ideoque nihil amplius nunc addam. Vale, Vir Magnifice longum publico & Tuorum bono, meque Tibi Tuiſque ad omnia devinctiſſimum habe.*

Excell. Tuæ Obſervantiſſimus.

Thomas Matthias Götzenius.

COLLEGIUM PRACTICUM

A Clariſſimo Domino

FRANCISCO dele BOE,

Prof. Leid. privatim 1660. dictatum.

MEdicina eſt ars optimam hominum valetudinem per naturalia media præſtandi. Conſtat hæc definitio genere & differentia: Genus eſt Ars: Differentia valetudo. Valetudine vel proſperâ vel adverſâ premuntur homines. Proſperâ quidem valetudine frui dicitur homo, in quo functiones omnes ad naturalem vitam beatè tranſigendam perficiuntur. Morbo laborare dicitur idem homo, in quo functionum prædictarum una vel plures labefactatæ, ſenſibiliter percipiuntur, adeò ut valetudo utraque ſit vitæ naturalis accidens, ſed & ipſa præſupponit ali-

quid amplius hominem ſecundum vitam naturalem felicem vel infelicem. Denique valetudinem ut præſtet Medicus cuidam homini, requiritur in ipſo 1. cognitio cauſarum omnium tam intra quàm extra hominem exiſtentium & ad functionum ſingularum integritatem requiſitarum. 2. Cognitio modi agendi earundem in rem unam, ut illa functionum conſequatur integritas. Et 3. Cognitio effectuum functiones integras excipientium easdemque patefacientium.

Sic ex adverſo requiritur in eodem Medico 1. Cognitio differentiarum & variarum ſpecierum ſecundum quas lædi poſſunt quævis functiones. 2. Cognitio cauſarum omnium tam in homine exiſtentium, quàm foriſecùs ipſi advenientium, functiones quasvis labefactandi aptarum, & quandoque actu labefactantium. 3. Cognitio modi, quo ſe habent & gerunt cauſæ ſingulæ, ut lædantur ſic aut aliter quævis functiones. 4. Cognitio effectuum ſeu ſymptomatum, functiones variè labefactatas conſequentium, earundemque læſionem variam manifeſtantium.

tium. 5. Cognitionem mediorum naturalium cauſas illas vitioſas & functionum labefactationes emendare aptarum. 6. Cognitio modi agendi prædictorum mediorum naturalium, qua cauſas illas vitioſas emendare queant. 7. Cognitio methodi medendi vel adminiſtrandi convenienti quantitate, tempore, loco & formâ ſingula media naturalia, ut citò, tutò & jucundè curentur ægri, & ita ipſis valetudo optima præſtetur.

De Fame læsâ.

FAmes à naturali ſtatu recedens læditur 1. quando in totum ceſſat. 2. quando minor eſt ac imminuta. 3. quando intenditur & ultra naturalem ſtatum augetur. 4. quando depravatur & alia appetuntur quæ nocent. 5. Quando perpetua eſt & nunquam ſedatur, ſed continuò perſeverat. 6. Quando inſuetò redit & inordinata eſt. 7. Quando ſæpius recurrit quæ quando ſedata

eſt ſtatim iterum infeſtat, huic contraria eſt 8. fames rarius arrodens & 9. fames mox evaneſcens.

Cauſæ. Non erit difficile cauſas inveſtigare, modò ſciamus quomodo fiat fames integra & naturalis. 1. Igitur famis naturalis cauſa eſt ab alimentorum reliqviis in ventriculo hærentibus, & cum deglutitâ ſubinde ſalivâ magis magisq; fermentatis, donec tandem à compedibus liberatus ipſis concluſus ſpiritus acidus ſurſum petat, & orificium ventriculi ſuperius blandè afficiat, & ſimul in ore ſalivam moveat, ſicque famem producat naturalem.

Aboletur 1. fames quoties ſalivæ obſervatur defectus, aut ipſa ſatis pinguis ſit, (in tali caſu obſervatur pituita multa adhærens rugis ventriculi) nihil enim acidum ſpiritum infringit quàm oleum & pingue, frangit quidem ſpiritum acidum ſal lixivioſum, eundem tamen non obtundit, quod præſtat oleum, uti eundem enervat & debilitat aqua multa, demulcet & lenit denique ſpiritus volatilis, exacerbat verò aut potius ab impedimentis ſuis liberat ignis.

Immi-

Imminuitur 2. fames ob easdem cauſas, ſed leviores, ut & ob alimentum vel copioſius, vel ad fermentationem ineptius aſſumptum; unde non relinquet reliquias aptas, ex quibus fermentum aptum producitur.

Augetur 3. fames, quoties acidiuſculum exiſtit in corpore vẽtriculi fermẽtum, ſive id ab aſſumptis acidis ortum habeat, ſive ab humoribus acidis copioſius in corpore repertis & ſalivæ miſtis, uti hoc frequenter Melancholicis & Quartanis accidere teſtatur experientia.

Depravatur 4. fames & cibus ineptus noxius appetitur, ob vitioſum ventriculi fermentum, vel ab aſſumptis, alimentis, medicamentis aut venenis vitioſis & ipſum variè corrumpentibus, vel à morbis multivariis, (præſertim quando menſium oppreſſiones ſunt;) fœmineis præſertim totum ſanguinem hinc & ſalivam, ventriculi fermentum denique inquinantibus & pravam illam diſpoſitionem, illi conciliantibus.

Perpetuatur 5. fames, nec aſſumpto alimento ſedatur ob humorem acidum vaporoſum pituitæ viſcidæ inhæren-

tem & ventriculo adhærentem, acidosque vapores continuò elevantem aut ſpirantem, vel ob ſuccum ſimilem continuò ventriculo allabentem, ſalivam puta aliumve quemvis undecunque accedentem, ſive à capite, ſive ab inferioribus partibus.

Inordinata oritur 6. fames ex humore eo tempore in corpore moto & ventriculũ petente, uti non rarò accidit in febribus quibuſdam intermittentibus, in quarum aut principio aut augmento vapor vel humor aliquis ad ventriculũ fertur, atque famem parit moleſtam, ægros ad alimentorum aſſumptionem urgentem, & tantum non vergentem non infrequens Quartanis eſt hæc fames, ſi tale quid continuò feratur ad ventriculum continua fames, ſi aliquando inordinata fiet.

Recurrens 7. ſæpius fames ortum ſuum debet humori ſæpius ad ventriculum delato.

Rarior 8. fames contra ſequitur fermenti craſſitiem & motum tardiorem, unde longiore tempore opus habet ad ſui exaltationem & famis excitationem: accidit autem id præſertim ob

acidi

acidi ſpiritus in corpore toto hinc in fermento quoque defectum, aut ſaltem ad ſalivam parciorem confluxum.

Evaneſcens mox 9. fames procedit ab aciditate & paucâ & valde volatili, quæ famem quidem excitat acrem, non tamen durabilem, ſed mox cum aciditate diſparentem.

Curabitur fames læſa in genere addendo deficientia, tollendo ſuperflua, & corrigendo vitioſa. 2. Abolita fames curabitur emendando 1. cauſas ſalivæ defectum parientes. 2. Salivæ pinguedinem & viſciditatem corrigendo, per acida & acria ſale lixivioſo prædita, amara præſertim, ſeorſim aut ſimul juncta, unde cremor Tartari, Sal Tartari ſimplex & vitriolatum ſic cõducunt, ut & elixir proprietatis, abſynthiũ & ſimilia: hiſce remediis corrigetur & emendabitur pituita in ventriculo hærens & famem tollens. 3. Imminuta fames curabitur quatenus ab iisdem cauſis ſed levioribus à quibus ortum ducit abolita trahit originem, iisdem quoque, quibus illa, medicamentis, itidem levioribus aut minori quantitate exhibitis, aut rarius uſurpatis; ubi vero ab

 alimen-

alimento copioſius aſſumpto pendet, illius detractione curabitur: Ubi ab alimento ad fermentationem ob viſciditatem inepto oritur, curabitur mutando alimentum in melius, aut ſaltem corrigendo viſciditatem per admiſta acida, hinc & ſpirituoſa, acetum puta, ſalisve ſpiritum, hinc & vini ſpiritus. Et acida quidem commode uſurpantur in condimentis, ſpiritus vero Vini aſſumi poteſt ſub finē prandii vel cænæ, & quidem parvâ quanritate. Satius quidem foret omittere in totum alimenta viſcida, ſed non ſemper licet meliorum defectu, nec ſemper libet ægris gulæ ſuæ plus ſatis addictis, quibus interim operam ſuam non ſemper denegare poteſt Medicus. Vtriusque autem & acidi & volatilis ſpiritus ope ipſæ alimentorum reliquiæ aptiores redduntur, ut in acre ac potens abeant fermentum. 3. Aucta fames curabitur uſurpando ea, quæ aciditatem immutandi vim habent: Aciditatem immutant 1. Sal lixivioſum omne, cum quo efferveſcens aliquatenus temperatur & cum ipſo coagulatur: ſic ſal Tartari ejusve ol. per deliq. paratum illud

præ-

præſtabit. 2. Creta alba parvâ quantitate aſſumpta, ad gr. ſcilicet iij. vel iiij. in quâ concentratur & figitur aciditas omnis, in affectibus der Goot genant/ ad miraculum curat. Cretæ proximè accedunt oculi cancri, corallia, margaritæ, quorum omnium alteratio medio modo ſeſe habet interim efferveſcentiam potiorem à ſale lixivioſo ortam & concentrationem ſ. fixationem cum creta factam. 3. Pinguia & oleaginoſa quæ aciditatem obtundunt. 4. Spiritus volatiles, Vini puta, qui aciditatem demulcent & leniunt. 5. aquea, quæ aciditatem copia ſuâ enervant & diſſolvunt, quibus modis omnibus fames aucta corrigi poteſt & imminui. 4. Depravata fames curabitur longè difficiliùs, quàm præcedentes ipſius ſpecies: tum quia variæ & mirabiles occurrunt ejus læſæ ſpecies tum quia difficile eſt, atque arduum humoris peccantis naturam exactè dignoſcere, ac proinde ipſi emendando auxilium aptiſſimum invenire. Hicproinde conjectura opus eſt Medico, & tentanda ſunt varia, quo tandem ad veram ejus perveniat cauſam, ſunt autem talia u-

ſurpanda, quæ nocere non poſſunt, & parvâ quantitate, quinimò ſi noxam inde potius quàm levamen ſentiat æger, mox mutandum remedium, neutiquam mordicus in ipſo perſeverandum. In genere quidem nunc acida, nunc amara, nunc acria, & aromatica, nunc pinguia, nunc macra, nunc ſpirituoſa, nunc aquea, nunc fixa, nunc volatilia &c. Sunt exhibenda, & attendendum ſedulò, cui inprimis auſcultet natura, ſed & humores copioſi & redundantes quandoque evacuandi. 5. Perpetua fames curabitur figendo humorem acidum, volatilem, acriorem, tum Sale lixivioſo, Tartari puta ſæpius aſſumto, tum creta alba ad grana aliquot ſubinde exhibita, tum ſpiritu acido alio ipſum figente, puta nitri, aut alio: quem experiatio oſtendit unicuique ægro meliorem & commodiorem, tum acerbis & auſteris quibusvis, tum terra ſigillata, bolo armena, cornu cervi uſto, coralliis & ſimilibus acidos ſpiritus concentrantibus aut figentibus & coagulantibus. 6. Inordinata fames curabitur iisdem & quidem facilius, quia non ſemper urget, quo-

ties autem febris ſymptoma exiſtit, exhiberi debent eædem, paulò antequam urgere ſolet prædicta fames. 7. Sæpius recurrens fames iisdem quoque curabitur auxiliis, per vices & ſæpius exhibitis. 8. Rarior fames curabitur augendo ſpiritus acidi defectum, ejusve à pinguibus obtuſionem, emendando exhibitis acidis, acrioribus quidem & volatilibus. 9. Mox evaneſcens fames curabitur exhibitis in paſtu acidis, ſpiritu Salis præſertim, ut & Sale Tartari vitriolato, ſucco berberum, Granator. acidor. & ſimilibus.

Formulæ quædam medicam. ad læſam famem curandam.

1. ℞. Aq. menth. ℥ij. ſpir. ſal. g. xx. Syr. de abſynth. ℥j. M. capiat æger ſæpius in die cochleare j. quando fame in totum aut in parte deſtituitur. Vel loco ſpiritus Salis addatur mixturæ elixir. propr. ʒß. & ſumatur itidem cochleatim, atq; inprimis horâ una vel dimidia ante ordinarium cibum ſumendi tempus. Poteſt etiam in debilibus inſuper addi ſpiritus vini rectif. vel aq. vitæ Matthiol. ʒß. & ſimili ratione uſurpari etiam poſt aſſumptum cibum.

2. Ad auctam famem. ℞. Aq. menth. ℥ij. ſpir. vin. rectif. ℥ß. Sal. Tartari ℈j. Syr. abſynth. ℥j. M. Aſſumat etiam ſubinde cochleare j. huj⁹ mixturæ. Vel ℞. Corn. Cerv. uſt. ℥j. corall. rubr pp. gr. ij. cret. alb. ℈ß. M. F. pulv. divid. in 8. doſ. capiat æger quotidiè 2. vel 3. doſ. jejuno ſtomacho ex cochleari cereviſiæ aut vini rubri, aut ſuperioris mixturæ:

3. Ad depravatam famem. ℞. Summit. abſynth. Fol. menth. ana Mß. Aloës opt. ℥j. Cinam. acut. ℥ij. Nuc. moſcat. ℥j. Conciſa & craſsè contuſa indantur ſacculo, cui affundatur vinum album ad ℥xx. bibat ſemel aut bis in die æger hauſtulum ad ℥ij. vel iiij. vel v. duabus aut tribus horis ante cibi aſſumtionem: vinum recens affundi poteſt in ebibiti locum quamdiu aromaticum inde redditur vinum. Cui ſubinde aliquid aloës addi poteſt, utpote quæ ante reliqua conſumitur. Servat hoc vinum alvum laxam, cujus nomine plus vel minus aloës ipſi addi poteſt: poteſt aliquando unicuique vini hauſtui affundi ſpiritus Salis vel nitri ad gutt. iij.

vel

vel iiij. aut alio tempore ex puro vino Malvatico præſertim Hiſpanico, aliove dulci ut Melicrato capi, & pro ægrotorum conſtitutione atque appoſitu peculiari in quibusdam immutari.

De Siti læsâ.

VTi famis ita ſitis læſæ plures occurrunt ſpecies, nos brevitatis cauſa primarias duntaxat enumerabimus & explicabimus. Sitim puta diminutam, auctam & depravatam. Harum cauſæ haud facilè patebunt, niſi ejusdem ſitis naturalis cauſas veras noverimus: Naturalem autem ſitim à ſalivæ defectu ortum ſuum ducere arbitramur, unde & in ore ſiccitas exſurgit, & in ventriculo fermenti aciditas. Primariæ & exſuperantes ſalivæ partes ſunt aqua multa & ſpiritus volatilis parcior. Unde ex alterutrius aut utriusque conſumtione aut defectu orietur ſitis. Et certè ſi quis vel in aëre undecunq; propter Solis ignisve majorem æſtum fervidiore

diutius

diutius moratus, vel ex corporis motu violento aut diuturno defatigatus, vel aliâs ſudore diffluens ſiti urgeatur auctâ, is aſſumptis aqueis & ſpirituoſis refocillabitur & ſitim ſuam ſedabit.

Ubi conſiderandum inprimis an humor aqueus an ſpirituoſus magis conſumatur & deficiat, ut ejusdem reparationi magis conſulatur. Sitis enim purè naturalis & ſponte accidens aqua ferè atque aqueis ſedatur. Sitis autem non naturalis ab errore ſcilicet in rebus non naturalibus dictis patrato orta, ſi cum notabili ſpirituum animaliũ conſumptione conjungatur, ſpiritu volatili puta vini ad cochlearis menſuram duntaxat ſumpto ſedatur magis quàm multâ aqua. Quæ vero ab alimentorum acrium & ſalſorum uſurpatione proficiſcitur ſitis, aquâ & aqueis inprimis compeſcitur. Quibus per experientiam notis confirmatur ſitis partim ex aquæ, partim ex volatilis ſpir. defectu orta. Sitis denique p. n. & morboſa non ex naturali humiditatis aſſumptæ conſumtione, non ex levi vitio tantùm, nuper in diætâ patrato, verùm ex diætæ vitio quidem, ſed aut vehemen-

hementiori aut diutius perſeverante atq; contenta in corpore ita vitiante, ut ſolis alimentis emendari nequeat, ſed inſuper medicamenta deſideret.

Diminuta autem plus minus & quidem p. n. ſitis oritur 1. ab humiditatis aquoſæ in corpore redundantia, à ſalis ſpirituoſi in corpore aut privatim in ſalivâ defectu vel obtuſione nimia. Aucta verò ſitis oritur contra 1. ab aquoſæ humiditatis in toto aut ſaltem in ſalivâ defectu. 2. à ſalis lixivioſi in toto, in ſalivâ ſaltem redundantiâ. Depravata autem ſitis oritur ex humorum variis modis depravatorum & acrium cum ſalivâ miſtorum præſentia.

Cauſæ remotiores humiditatis aquoſæ ut & ſalis lixivioſi tàm redundantis quàm deficientis in corpore plures poſſunt exiſtere, ſuntque aliundè petendæ, de quibus proinde agetur alibi, idem dici poteſt de cauſis remotioribus acrium & variè depravatorum in eodem corpore humorum.

Curabitur ſitis p. n. & morboſa 1. emendando removendove cauſas remotiores. 2. corrigendo, addendo, tollendo, cauſas ejusdem proximas.

Sitis

Sitis proinde diminuta curabitur 1. minuendo humoris aquei in corpore redundãtiam per hydragoga, diuretica & ſudorifica aſſumpta, per aëris æſtum à ſole aut igne per corporis exercitium & vigilias. 2. Augendo ſalis lixivioſi defectum, ejusdem aſſumptione cum alimentis aut aliis medicamẽtis. 3. Corrigendo ejusdem obtuſionem à pinguibus ortam, idque vel ſale lixivioſo, vel ſpiritu acido, vel utroque pro re natâ, & reliquâ ægrorum conſtitutione. Aucta ſitis curabitur 1. augendo aqueum humorem in corpore deficientem, bibendo aquam liberaliter, aut cereviſiam tenuem, aut aquam hordei, aliasve aquas ſtillatitias nullam acrimoniam habentes, acetoſæ puta, cardui benedicti, Lactuc. Borrag. & ſimiles 2. minuendo ſalem lixivioſum redundantem, aut potius ipſum corrigendo, & emendando per aſſumpta acida aut ſubpinguia & mixta, unde quibusdam conducet Iulapium ſpiritu acido quovis alreratum, aliis lactis ſerum, aliis lac ebutyratum, aliis lac ipſum aut ſolum aut addito nitro, vel ex ipſo parato lapide prunellæ, aliis emulſio ex

hordeo

hordeo aut ſeminibus frigidis, majoribus parata. Obſervandum autem fieri aliquando ut ſitis augeatur à ſero, ubi quoniam cum lixivioſo ſale redũdat ſimul in corpore aqua, nõ competit potus copioſus. Verùm ſpiritus acidus pauco liquore mixtus & cochleatim tamen aſſumptus. In quo caſu conducit mirè ſpiritus acidus cum volatili ſpir. Vin. rectific. junctus & cereviſiæ paucæ aſſumendæ affuſus, ſicque uſurpatus, à quo emendatur potentius noxia ſalis lixiv. acrimonia. Depravata ſitis cum multiplex occurrat ex variâ ſuprà dictorum mixturâ, unicuique convenienter ad aperta curari debet.

De alimentorum læsâ fermentatione.

ALimenta cibo & potu conſtantia & intra ventriculi cavitatem aſſumpta fermentantur in eodem naturaliter vel ita immutantur, ut pars eorundem alẽdo corpori utilis ab alvinis fecibus com-

commodè ſeparari poſtea queat in tenuibus præſertim inteſtinis. Conſiſtit autem illa alimentorum fermentatio in diſſolutione blanda vinculorum quibus alimentorum partes in unitate continentur. Horum vinculorum primarium quoniam Sal eſt, ſecundarium vero oleum, hinc ex utroque paratur ſpiritus acidus, & ex hiſce omnibus concurrentibus oritur viſciditas; ſal quidem primariò diſſolvitur ab aqua, oleum rarefacit ignis, ſpiritum acidum infringit ſal lixivioſum, ac viſciditatem emendant hæc omnia, & ipſe non rarò ſpiritus acidus ſolus reliqua excedent.

Primaria proinde fermentationis ut aliâs rei cujusvis ſic & alimentorum cauſa eſt aqua pro ipſorum conſtitutione variâ ſatis copioſa, ſecundaria vero ignis, isque partim cum alimentis calentibus aſſumptus, partim â corde per arterias cum ſanguine ventriculo communicatus. Hiſce ſubſerviunt modò ſal, modò ſpiritus acidus, modò ſpiritus volatilis, ad variam alimentorum variorum diſpoſitionem immutandam & ipſa fermentationi faciliori præ-

præparanda. Alimentorum autem fermentum petitur partim ex fermentatorum prius in ventriculo alimentorum reliquiis circa ejusdem rugas hærentibus, partim ex ſalivâ in ventriculum continuò deglutita & reliquiis prædictis permiſta. Quoties autem & fermentum ſe habet bene & alimenta aſſumuntur convenienti quantitate, qualitate, tempore, modo &c. corpusque quieſcit aut movetur placidè, ſomnus & vigiliæ ſervantur moderatè, animus regitur pacatè, excernenda excernuntur debitè, aër inſpiratur temperatus, toties ex uſto perficitur alimentorum fermentatio. Quoties autem in prædictarum rerum non naturalium unâ vel pluribus aliquid committitur erratum, toties læditur eadem alimentorum fermentatio, & quidem modis variis: 1. aboleri poteſt in totum ut nulla fiat, verum qualia aſſumuntur talia excernuntur alimenta. 2. Diminui poteſt, ut non ſufficiens fiat, alimentaque ex parte duntaxat fermententur. 3. Augeri poteſt, ut nimia fiat alimentorum fermentatio ac plura cum chylo abeant, quàm decebat. 4. Depra-

Depravari poteſt, ut corrumpantur alimenta nec convenientem corpori alendo chylum promant, 5. Segnius & tardius abſolvi poteſt, quod vitium ab imminuta in eo differt, quod in imminuta etiam pluribus horis non perveniat ad perfectionem ſuam, in ſegniori autem perveniat, ſed longiori tempore. 6. Celerius abſolvi poteſt, quod vitium differt ab auctâ ferment. in eo, quòd in auctâ nimium fermententur alimenta quàm decebat, in celeriori autem breviori tamen tempore, non autem magis quàm decebat.

De fermentationis alimentorum abolitæ cauſis & curatione.

LÆditur alimentorum fermentatio vel ipſorum alimentorum aſſumptorum, vel fermenti vel ignis ſeu caloris vitio, & quidem abolетur, ſive nulla fit alimentorum fermentatio. 1. Alimentorum culpâ, quando fermentationi inepta aſſumuntur, dummodò alimen-

alimenti nomen tunc mereantur. 2. Fermenti culpâ, quando illud deeſt, aut iners exiſtit ac fermentationi perficiendæ inutile. 3. Ignis cordis interim culpa vix aboleri poteſt fermentatio cum durante vita tantus ſemper adeſt, ut aliquo ſaltem promoveatur, licet diminuta alimentorum convenientium fermentatio. Vbi a & fermenti vitiũ concurrit, & alimenti minus convenientis ac difficilioris fermẽtationis aſſumptio, & ſimul ignis debilis tantò facilius aboletur fermentatio: nam idem effectus bonus malusve facilius producitur, quoties omnes cauſæ plures ſaltem ad illum producendum requiſitæ ſimul benè ſe habent aut malè. Maxima verò fermenti ineptitudo cõnſiſtit in ejusdem pinguedine viſciditati conjuncta. Quemadmodum enim fermentationis cauſa primaria eſt aqua, ſic & ejusdem impedimentum primarium eſt oleum ſeu pinguedo. Vbi autem fermento naturali oleum multum immiſcetur, illud nec aquæ nec alimentis immiſceri poteſt commodè, unde nec facilitatur aquæ ingreſſus in alimenta fermentanda. Quòd ſi pinguedo

guedo illa viſciditati ſit conjuncta; quod fit quando ſal lixivioſum, ſpiritus acidus & oleum permixta ſunt ſimul, magis adhuc ineptum redditur idem fermentum promovendæ fermentationi. Curabitur-autem abolita fermentatio 1. exhibendo alimenta fermentationis facilis 1. in aqua facilè ſolubilia, & ſolâ decoctione blandâ in aquâ factâ, ſuccum copioſum de ſe fundentia. 2. Vbi deeſt fermentũ, exhibenda quæ ejus vices ſuppleāt & novo fermento generādo anſam præbeant. Cum autem & ſale lixivioſo conſtet fermentum naturale & ſpir. volat. & ſpir. acido ex hiſce tribus parari poteſt mixtura valde conveniens, qualis eſt notum elixir proprietatis in quo & ſpir. volatilis vini continetur, & ſpir. ac. ſalis vel tartaris vel vitrioli & ſal lixivioſ. aloës ẽx ejuſdem amaritudine apparens. Cujus loco uſurpari poteſt ſal tartari vitriolat. cum vin. ſpir. rectif. aliquandiu digeſt. & aliquoties cohobatum, & ex vino pauca quantitate ſubinde exhibitum. Vbi ineptum eſt fermentum, & minus pingue, eadem mixtura conducet, ut & ſal tartari ſolum, aliaye

ſalia

ſalia undecunque parata, inprimis ex cap. mort. ſalium, in acidum ſpiritum prius deſtillatorum, quale inter alia commendatur à quibusdam & meritò, quod ex cap. mort. aq. fort. ex nitri & vitrioli part. æqualibus paratæ elicitur. Vbi debilis obſervatur ignis internus cordis, ex pulſu parvo manifeſtus, & cum plerarumque partium levi frigore ſero conjunctus, præter ea quæ poſtmodum & quidem ſuo loco dicemus, alimenta non actu frigida, ſed calida, vel ſaltem tepida ſunt aſſumenda.

De fermentationis alimentorum diminutæ cauſis & curatione.

Diminuitur alimentorum fermentatio ab iisdem quibus aboleri ſolet cauſis, ſed levioribꝰ. Diminuitur enim 1. alimentorum culpa, quando ipſa ſunt vel valde viſcida, vel valdè ſalita, vel

valdè

valdè ad acrem aut umum exſiccata vel minus arte cocta & præparata, vel valdè pinguia, vel aliâs parum ſpiritus volatilis in ſe continentia, vel ſaltem multo aut fictiore ſale fixo prædita vel pinguedine. Diminuitur fermentatio 2. fermenti culpa, quando in illo plus minus deficit vel ſal, vel ſpir. volat. vel ſpir. acidus, utpote ex quibus certâ proportione miſtis conſtat inprimis ventriculi fermentum. Diminuitur eadem fermētatio 3. ignis culpa, quando is in corde paucior aut blandior exiſtit, curatur autem iisdem, quibus abolita fermentatio remediis, ſed levioribus, aut minori ſaltem quantitate exhibitis. Inque primis conducunt alimenta, quoties licet jam fermentata ad fermentationem ſaltem præparata, qualia ſunt panis bene fermentatus & carnium juſcula calidè aſſumta.

De

De fermentationis alimentorum auctæ cauſis & curatione.

Augetur fermentatio alimentorum, 1. alimẽtorum culpâ, ſi non ſint fermento naturali proportionata, ſed jam ante aſſumtionẽ nimium fermẽtata, ad fermentationẽ ſaltem nimium præparata. 2. fermẽti culpa, quando idem vel copioſius adeſt, vel acrius, acrimonia fermenti pendet ab ejusdem ſale magis volatili & acri. Vix putem ab igne cordis, hinc & ventriculi aucto urgeri poſſe alimentorum in ipſo fermentationem. Curabitur autem aucta fermentatio 1. exhibendo alimenta cujusque fermento convenientia, & in hoc quidem caſu minus fermentata, magis craſſa & viſcida, uno verbo difficilioris fermentationis. 3. Corrigendo fermentum magis volatile & acre medicamentis ipſum figentibus, inprimis ſale, nitro, aut ex ipſo parato lapide prunellæ, ut & creta alba, coralliis,

corn. cerv. uſt. & ſimilibus, in quibus concentretur & figatur ſpir. acrior fermenti acrioris. NB. Si fermentum diutius fermentetur, incipit amaricare, ratio eſt, quia ſal acrior magis fermento immiſcetur.

De fermentationis alimentorum depravatæ ſpeciebus, cauſis & curatione.

DEpravatæ alimentorum fermentationis duæ primariæ enumerari ſolent ſpecies, nidoroſæ & acidæ cruditatis nomine venientes & notæ. Nidoroſa pendet à bile in ventriculum delata atque ibidem fermentationem alimentorum corrumpente. Acida pendet à ſpir. acido, non parum ſed multum excedente ipſumque fermentum hinc & alimentorum fermentationem corrumpente. Curatur nidoroſa cruditas corrigendo & emendando, aut deorſum

ſum ſurſumve educendo bilem hoc malum patientem. Corrigitur inprimis acidis, deorſum educitur cholagogis, ut rhabarb. ſcammon. Tamarind. & ſimilibus. Surſum evacuatur per vomitoria, inter quæ nulla æquiparanda antimonialibus ac præſertim ejus vitro hujusque infuſo, ut & Mercurio vitæ dicto, verè ♁niali medicamento. Curatur acida cruditas corrigendo & emendando ſpir. acidum tam ſale lixivioſo, ocul. cancr. creta. coralliis, &c. quam ſpir. volat. vini puta & ſimplici & compoſito, uti aq. vitæ Matthiol. & ſimilibus. Attendendum autem ad reliquas circumſtantias in unoquoque individuo peculiares, ut hoc aut illud præferatur.

De tardioris aut celerioris alimentorum fermentationis cauſis & curatione.

Quamvis ex jam dictis cauſæ & curatio harum quoque læſæ alimentorum ſpecierum facilè deduci queant, pauca

tamen addemus. Tardior fit alimentorum fermentatio 1. ipſorum alimentorum culpa, ſi difficilioris ſint quidem fermentationis, poſſibilis tamen in reſpectu ad ferměntum quod proinde longiore tempore opus habet ad illam abſolvendam, quam tamen abſolvit quod in imminuta non accidit. 2. Fermenti culpâ, ſi imbecillius ſit, & minus acre, unde longiore quoque tempore opus haber ad illam abſolvendam ſcilicet fermentationem. 3. Ignis culpa, ſi minor ſit & minus juvet, adeò ut celerius tunc perficiatur fermentatio. Curatur tardior fermentatio 1. exhibendo alimenta fermentationis difficilioris, ac viſcida præſertim 2. exhibendo acida & ſalſa unita, ſal puta Tartari vitriolatum & ſimilia, quæ fermentum ſeducunt ad convenientem partium ipſum conſtituentium proportionem. 3. Ignem cordis frænantia exhibendo acida præſertim ſola, vel lixivioſo ſali juncta, idem puta ſal Tartari vitriolatum,

De

De chyli ab alvinis feci-bus ſecretione læſa, e-jusq; ſpeciebus variis.

LÆditur chyli ab alvinis fecibus in tenuibus inteſtinis fieri ſolita ſecretio, quando 1. nulla fit, atque alimenta in veutriculo fermentata per alvum excernuntur in cæliaco dicto affectu. 2. non ſufficiens fit, quando chylus minus ſecernitur ab iisdem alvinis fecibus quàm decebat. 3. Depravatur, quando fecum portio cum chylo ſeparatur, & illi juncta tranſit in vaſa lactea. Aucta diu nulla poteſt cum nimium chyli laudabilis ſecerni nequeat, à fecibus alvinis, atque hæ primariæ ſunt læſæ chyli ſecretionis ſpecies, alias enim leviores datâ operâ & brevitatis causâ nunc prætermittimus.

De abolitæ & diminutæ chyli ab alvinis fecibus ſecretionis cauſis & curatione.

SÆſæ hujus chyli ab alvinis fecibus ſecretionis cauſas nemo aſſignabit, qui ejusdem integræ cauſas non fuerit aſſecutus. Nobis autem videtur bilis per porum ſuum ad inteſtina tenuia delata & fermentatis alimentis miſta ſecretionem illam perficere. An ſuccus panecraticus per eandem plerumq; viam ad inteſtina tenuia delatus, ad illam ſecretionem aliquid faciat, planè dubito, licet potius nihil quàm aliquid facere ſuſpicer. Quoties autem bilis bene ſe habet, & convenienti tempore huc effunditur, toties laudabilis contingit chyli ſecretio, quoties autem aut ſuo tempore non affluit, aut iners exiſtit, nulla fiet chyli à fecibus alvinis ſecretio. Curabitur proinde 1. ubi non affluit reſerando vias anguſta-

tas per aloëm & ſimilia pituitam educentia. 2. Acrimoniam ejusdem acuendo ſale volatili acriori, quale in abſynthio reperitur & pleriſque aromaticè amaris. Quòd ſi bilis minori quantitate affluat, aut nimis potens ſit, ſecretio chyli fiet minor. Curabitur autem iisdem quibus abolita remediis ſed levioribus.

De chyli ab alvinis fecibus ſecretionis depravatæ cauſis & curatione.

Depravatur chyli ſecretio, quando fecum portio ſimul chylo miſcetur, ipſumque adeò inficit. Accidit autem illa quando malè & quidem ita eſt affecta bilis, ut præter chylum aliquam quoque alvinarum fecum partem à reliquâ ſecernat, quæ chylo confuſa cum eodem tranſeat in vaſa lactea. Hinc ſanguini commixta morbis variis anſam præbeat, calculo puta, podagræ,

ſcorbuto & ſimilibus; quamvis autem difficile ſit varias hujus depravatæ ſecretionis ſpecies ſecundum materiam variam feculentam determinare, ac proinde ſingularum cauſas veras & adæquatas aſſignare, intereſt tamen ſcire, ab omnibus talia fieri, ut ſinguli in illud inquirant, & tandem conjunctis operis veritatem in plerisque adhuc dum latentem in commune ægrotorum bonum eruant, & toti literatorum choro aliquando communicet. Hoc ergò nunc hîc monuiſſe ſufficiat, cum quæ pro certo tradam nondum ſuppetant, unicum duntaxat additurus, intereſſe unusquisque bili laudabili in corpore conſervandæ aut reſtituendæ allaboret, & quidem pro obſervabili ejuſdem vitio vario, quod fiet inprimis uſurpando omnia amara aromatica, qualia ſunt abſynth. card. ben. centaur. minus. cichoreum. &c.

(***)

De

De chyli diſtributione læſa, ejusque cauſis & curatione.

NOn ſufficit cibos in ore bene maſticatos ſalivâ imbui, non ſufficit eosdem cum potu miſtos in ventriculo fermentari, non ſufficit fermentatorum partem chyloſam à fecibus alvinis in inteſtinis ſecerni, opus enim eſt inſuper ut ſecretus chylus per cruſtam inteſtinorum ſpongioſam coletur in lactea vaſa, ſicque ſenſim deferatur ad venam axillarem, ſanguinique confuſus deducatur ad cordis ventriculum dextrum, ut abeat in ſanguinem. Læditur hæc chyli in & per vaſa lactea diſtributio 1. quando non patent cruſtæ prædictæ pori, verum aut obſtructi ſunt, ab humoribus pituitoſis & viſcidis, aut poſt exulcerationem cicatrice ſunt obducti, clauſique. 2. Quando ipſa vaſa lactea obſtructa ſunt, adeò ut admittere chylum nequeant, aut illi tranſitum

concedere. Incurabile malum eſt, cicatrix poſt dyſenteriam in variis inteſtinorum partibus nonnunquam contingens & inſufficienti chyli diſtributioni anſam præbens. Cruſtæ autem & lacteorum vaſorum in hujus orificiis obſtructio patet ex chyli cum alvinis fecibus confuſi excretione; quæ altera eſt cæliacæ affectionis ſpecies: Curatur hæc corrigendo pituitæ craſſitiem ac viſciditatem & educendo ſimul eandem, quoties redundat illa in inteſtinis, & quidem per medicamenta ſæpius enumerata & in omnibus Practicorum libris obvia. Gravius malum eſt quando in medio ductu aut circa meſenterii glandulas obſtructa ſunt vel aliàs anguſtata vaſa lactea, unde rumpatur plerumque & ex effuſo in abdominis cavitatem chylo ſequitur aſcites, hinc & mors, ni mox in principio curetur æger, idque jam dictis medicamentis. Hinc potenti hydragogo, unde non ſemel obſervatum à Practicis, curari ſæpè uno aut duobus purgantibus hydropicos.

Obſtructiones in vaſis mediis occurrunt facilè, quando ægri ac febricitan-

citan-

ſitantes ſiti urgentur vehementi, atque potum bibant affatim, qui ſi pituitam multam oſtendat in inteſtinis tenuibus, illam ſolvit, ac ſerum in vaſa lactea deducit, in quibus ſi vel ſponte vel ob frigus externum in iisdem concreſcat, & obſtructionem pariat, nec potui inſequenti tranſitum concedat, expanduntur magis magisque vaſa lactea, donec disrumpantur, ac in abdominis cavitatem effundatur potus, exciteturque non raro paucis diebus hydrops.

De ſanguificatione læsâ.

SAnguificationem in corde perfici evincit vaſis lacteis conjunctus motus ſanguinis circularis.

Sanguificationi eidem inſervire pulmones, epar, lienem, renes, evincit idem ſanguinis motus circularis. Fit autem ex chylo ſanguis in corde concurrente & adjuvante illam mutatio-

nem ſanguine à partibus omnibus & ſingulis, ac inprimis ab hepate & per hoc à liene refluente. In liene namque amplius elaboratus & plus quàm perfectus ſanguis per portæ venam ingreditur epar, ubi poſtquam ex vaſis bilariis in totidem ac portæ venæ ramificationes diſtributis ipſiusque propagines ubique comitantibus ſufficiente bile eſt imbutus in venam cavam pergit ad cor, in cujus confiniis occurrens chylo unà cum relabente à capite artubusque ſuperioribus ſanguine & undique affluente lympha mixto efferveſcentiam ibidem levem videtur excitare, quæ in cordis ventriculo dextro tranſeat igne concepto in ardorem, cujus ope intimius immiſcentur chylus & ſanguis imò tam intimè, ut & chylus ipſe abeat in ſanguinem. Ad chyli proinde ſanguificationem tam multa quoniam concurrunt, & 1. quidem chylus ipſe. 2. lympha, 3. Sanguis à quarumvis partium nutritione refluens. 4. Sanguis à cerebro cerebelloque poſt animalium ſpirituum electionem reſiduus. 5. Sanguis à renibus poſt lotii ſecretionem rediens. 6. Sanguis in

liene

ene plus quàm perfectus. 7. Bilis in epate ſanguini & cæterorum viſce- um refluo permiſta, multas quoque k diverſiſſimas eſſe poſſe læſæ ſanguifi- ationis cauſas & differentias patet.

Læditur enim ſanguificatio 1. quan- lo mixtura chyli, lymphæ, ſanguinisq; nultifarii minus apta eſt ad ignem ſuf- icienter concipiendum, hinc & ne- ceſſarium corpori uſum eumque mul- tiplicem præſtandum aut contra eun- dem ignem nimium concipit, & ne hic quidem uſum corpori præſtat requiſi- tum. 2. Quando vel chyli vel lymphæ vel ſanguinis undecunque refluentis culpa tota maſſa ſang. hinc reſultans obſervatur juſtò aquoſior, ſpirituoſior, ſalſior, acidior, obe- ſior, &c. Sed & 3. quando eadem maſſa debito craſſior tenuiorve, viſci- dior fluidiorve, rarior denſiorve. Cau- ſas enumeratarum differentiarum va- riarum, ut quantum in re nova hæc dum ſatis expenſa digeſtaque fieri licet paucis proponamus, inflammabilita- tem ut ſic loquar ſanguineæ maſſæ ma- jorem, ortum ducere putamus, par- tim ab olei copioſioris, ſalisque vola-

tilis

ſalis copioſioris præſentia, partim à ſpir. acidi aquæve defectu. Sic ejusdem ſanguineæ maſſa ad incendium ſuſcipiendum ineptitudinem contra pendere putamus, partim ab olei ſalisve volatilis defectu, partim ab aquæ ſpiritusve acidi copia & redundantia. Oleum copioſius ſequi videtur alimentorum etiam aliàs optimorum, nec nimis pinguium fermentationem auctam uti ejusdem defectus imminutam. Salis volatilis copia videtur ſequi bilis abundantiam, hæc verò alimentorum acriorum & volatili ſale præditorum uſum, aërem externum æſtuoſum, corporis exercitia mediocritatem parum excedentia, inter animi motus iram, vigilias protractas, alvum ſegniorem. Bilis autem hinc & ſalis volatilis defectus ſequitur aërem humidum, alimenta aquoſa, ſomnum, corporis exercitia nulla vel pauca, inter animi affectus metum & triſtitiam, alvum laxiorem Spiritus acidus redundat in corpore propter multum acidorum uſum ut & mœſtitiam. Idem in corpore deficit, ob paucum vel nullum acidorum, acrium verò uſum multum, ut &

is & iram quotidianam. Aqua redundat in corpore ob multum aquæ alimentorũve, aqueorum uſum aut abuſum, deficit eadem ob paucum ejuſdem aqueorumve alimentorum ut & aëris uſum. Spiritus autem volatilis redundat in corpore ob alimentorum ſpirituoſorum vini præſertim potentioris, aut ejuſdem ſpiritus uſum nimium adeoque abuſum, exercitium moderatum, animum ad hilaritatem compoſitum, ſomnum & vigilias nimias. Quæ omnia cum diætæ vitia ſequi ſoleant, quantum in diæta bona ſitum ſit, facilè patet, quinimò ex diætæ malæ in meliorem reductione emendari ſenſim poſſe pleraque hæc damna. In alimentis præſcribendis talia ſeligenda quæ abundent parte requiſita & deſtituta ſint parte in corpore redundante. Exceſſus præterea omnis in cæteris rebus 6. non naturalibus dictis, corrigendus & ad mediocritatem redigendus, quin imò quandoque ad exceſſum contrarium, ſed parvum, nec diu durantem, ſenſim deducendus: donec ſcilicet ad requiſitam moderationem redeant ſingula. Hæc omnia qui ritè obſer-

obſervaverit ex multis difficultatibus in praxi alias occurrentibus ſe liberatum comperiet.

De ſanguinis pluſquam perfectionis læſæ in liene ſanguificatione.

CUm ex ſpiritus animalis admiſtione ſanguinis pluſquam perfectionem in liene deduxerimus. Patet eam pro ejuſdem majori vel minori acceſſu augeri poſſe vel diminui. Majori copiâ ad lienem feretur ſpiritus animalis, quando in corpore exiſtit copioſior ex uſu liberaliore alimentorum ſpirituoſorum &c. Minori autem copia ad eundem lienem deferetur ſpiritus animalis, quando is in corpore exiſtit paucior ex uſu parciore alimentorum ſpiritu volatili turgentium.

Ex auctâ vero ſanguinis plus quàm perfectione in liene, tenuior & fluidior videtur reddi ſanguinis maſſa univerſa, uti

uti ob eandem diminutam craſſior atq; viſcidior.

Curabitur autem illa aucta ſanguinis exaltatio, 1. abſtinendo à ſpiritu volatili præditis. 2. Uſurpando copioſius aquea. 3. Indulgendo quieti tam corporis quàm animi, adeoque ſomno. 4. Utendo liberalius acidis & auſteris. Curabitur eadem imminuta ſanguinis exaltatio, 1. utendo copioſius alimentis ſpirituoſis, ipſo imò vini ſpiritu rectificato, tàm ſimplici, quàm cum aromaticis compoſita. 2. Exercendo corpus moderatè & componendo animum ad hilaritatem atque tranquillitatem. 3. Mediocritatem ſervando in ſomno & vigiliis.

De ſanguinis ab immixtâ ipſi in hepate bile alteratione læsâ.

REfluens tum à liene, tum à ventriculo atque inteſtinis, tum à meſenterio, tum Omento, Pancreate, cæteriſque meſen-

meſenterii glandulis per venæ portæ ramos ſanguis & per epar in cavæ venæ truncum exoneratus, accipit in tranſitu bilem ex fellis veſicula per ductum epaticum quaquaverſum cum portæ ramificationibus diſtributum ipſi communicatum, à qua diſponitur ad incendiũ in corde facilius ſuſcipiendum. Hæc bilis cum ſale volatili ſulphureo cõſtet ex ſale lixivioſo per volatilem ſpiritum volatiliſato, hinc & peraccidens oleũ inflammabili facto: patet variis modis eandem poſſe malè affici, dum 1. exſuperat una vel plures ipſam primariò conſtituentes partes 2. Deficiunt contra ipſam componentium partium una vel plures, 3. alia accedunt inſuper ad ipſius conſtitutionem requiſita. Exſuperare poteſt 1. ipſum ſal lixivioſum, unde bilis fit corrodens & ulcera excitans. 2. Exſuperare poteſt ſpiritus volatilis, unde fluidior & mobilior exiſtit ipſa bilis, qualis in iracundis reperitur, in quibus facilè movetur bilis. 3. Exſuperare poteſt oleum, unde facilè ſanguinis incendium, inflammatio & febris contingit, eaque ardens & continua. E contra autem de-

ficere

ficere poteſt, 1. ipſum ſal lixivioſum, unde minus acris exiſtit ipſa bilis, minuſque ad chyli ſecretionem apta, minus ad efferveſcentiam in ſanguine excitandam, dummodò naturaliter aliqua contingat in ſanguine eaque blanda qualem locum habere nihil hactenus diſuadet, & habere non pauca videntur ſuadere. Deficere poteſt 2. ſpiritus volatilis, unde acrior exiſtit neceſſariò bilis, ut pote cujus ſal lixivioſum à ſpiritu volatili demulcetur, ac proinde omnis à bile excitata efferveſcentia vehementior fit, quam decebat. Deficere 3. poteſt oleum in bile, unde minus inflammabilis efficitur ſanguis, minusq; ad rarefaciendum aptus.

Bili p. n. accedere poteſt 1. aqua, unde & ſal ejus lixivioſũ & ſpiritus volatilis non parũ infringuntur, totumque à bile contingens ſanguini beneficium non parum imminuitur.

Eidem bile accidere poteſt p. n. 2. ſpiritus acidus à quo magis adhuc infringitur & debilitatur ſalis lixivioſi operatio & vis. Vitium quoque accipere poteſt ſanguis à bile in corpore exiſtente copioſiore aut parciore ut alias quo-

adi

ad ipſum conſtituemus partes laudabiles. A copioſiore autem bile copioſius proinde ſanguini communicata contingit facilè majus ſanguinis incendium, ac conſequuntur omnes affectus à ſanguinis aucto incendio oriundi. A parciore vero bile in corpore repertâ & parcius ſanguini communicata, minus quàm decebat excitatur ſanguinis incendium, ac conſequenter affectus oriuntur inſufficiens ſanguinis excipientes incendium.

Eidem bili accidere poteſt. 3. Terra, cui ſi copuletur ſpiritus acidus, puto acceptos referendos calculos in ejus veſicâ generatos, & bilem magnâ ſui parte abſumentes. Curabuntur varia enarrata bilis vitia, ſi 1. tota redundet, minuendo ipſam purgantibus cholagogis, tum ſurſum per vomitum, tum deorſum per alvum ipſam educentibus. Si 2. tota paucior exiſtat eandem augendo uſurpatione rerum ſale volatili & ſubpingui præditarum, qualia ſunt pleraque amara & ſimul aromatica, abſynthium puta, carduus benedictus, fumaria, cichoreum, centaurium minus &c. quocunque demum modo parata:

& aſ-

& aſſumta. Si 3. exſuperet in bile ſal lixivioſum, uſurpando acida & præſertim volatili ſpiritu alterata. Si 4. exſuperet ſpiritus volatilis uſurpando vel aquea vel acida, vel utraque, quorum ope frangitur ſpiritus volatilis vis. Si 5. exſuperet in bile oleum uſurpando acida & ſale lixivioſo prædita, vel ſola, vel ſimul juncta, idque pro ſingularum conſtitutione variâ, aliquam variationem inſtituendo. Si 6. deficiat in bile ſpiritus volatilis, illum uſurpando per vices, vini puta ſpiritus rectificatum, cum aliis convenientibus junctũ & cochleatim exhibitum. Si 8. deficiat in bile oleum, idem exhibendo & quidem deſtillatum, utpote quod de ſale volatili participat, & ideò bili conjungi poteſt facilius, aſſumendo illud ad unam, duas, vel tres duntaxat guttas pro doſi ex liquore convenienti, vino, cereviſia, miſturave medicata & juſculo. Convenientia autem olea ſunt pleraque aromatica, cinamom. caryophyllor. macis, roriſmarini, majoran. cort. citri & arantior. ſeminum aniſi, fœniculi, baccor. junip. & cæteror. quæ omnia referre nimis foret longum. Si

9. bili

9. bili immixta ſit aqua, propter diætæ vitium, illa evacuanda hydragogis, diureticis, ſudoriferis &c. Si 10. bili immixtus ſit ſpiritus acidus, itidem ob alimenta vel medicamenta acida immoderatius ſumpta, curabitur abſtinendo ab acidis & uſurpando alimenta & medicamenta præſertim ſale lixivioſo eoque volatili prædita, quod vitium enim patet quoties per vomitum ejecta bilis, præter amaritudinem, aciditatem aliquam manifeſtam ſub vitrioli ſapore naresque admodum ferit. Si 11. bili terra immixta ſit, atque calculi inde generentur in folliculo fellis, quamvis hujus mali nullum hactenus quod ſciam certum innotuit ſignum. Curabitur tamen uſurpando medicamenta omnem coagulationem fortem impedientia qualia ſunt lithontriptica dicta, ſive ſaxifraga, ſale lixivioſo volatili & acriori donata.

De

De Urinæ Renibus ſecretione læsâ.

SEcretio urinæ à maſſa ſanguinea in renibus fieri ſolita læditur 1. quando nulla fit, & abolita dicitur. 2. Quando imminuta fit. 3. Quando nimia fit & aucta 4. quando aliud ſecernitur hinc & excernitur quã debebat, quam ſpeciem ſi quis depravatam vocare volet, cum ipſo non pugnabo. Urinæ partes primariæ ſunt aqua multa & ſal lixivioſum volatile paucum, illa quidem à potu, hoc vero à bile ſanguini confuſa probabiliter ortum ducunt. Lædi autem poteſt urinæ ſecretio à ſanguine vel ſecundum utramque lotium conſtituentem partem, vel ſecundum alterutram ut nunc de lotii contentis non dicam, cum reverâ non ſint de ipſius eſſẽtia, & in ægris aut valetudinariis ſaltem obſerventur inprimis ac deeſſe poſſunt uti non raro deſunt in ſanis. Aboletur autem

autem 1. totius urinæ ſecretio in renibus, quando carunculæ per quas percolatur ipſa & à reliquo ſanguine ſeparatur aut obſtructæ ſunt, aut aliâs malè affectæ, ut inepte ſint requiſitæ lotii ſeparationi. Quomodo autem naturaliter diſpoſitæ ſint illæ carunculæ ſi nobis conſtaret, non ita difficile fieret earundem læſionis modum, & cauſas veras indagare vel aſſignare, hinc & curationem certam proponere, verum quandoquidem non niſi per conjecturam hic aliquid ſtatuere datum, cætera quoque conjecturalia eſſe duntaxat non ſcientifica patet. Curatur autem hic affectus diureticis medicamẽtis, iiſque acrioribus & ſale volatili eoque in primis acriori præditis, qualia ſunt inter blanda oculi cancri, ſal ſuccini volatile, & inter acriora cãtharides, millepedes & ſimilia, quibus ſi brevi non cedat malũ, obſervatur ipsũ intra paucos dies lethale. Hujus autem ſignum exhibet catheter in veſicã immiſſus, & nihil urinæ quia deficit, educens, cui accedit anguſtia moleſta circa præcordia. Imminuitur 2. totius urinæ in renibus ſecretio, quando minus ejus tranſcolatur quàm decebat, idque ſecundum ejuſdem ſan-

guini

guini permiſtam quantitatem, neque e-nim ſeparari debet multa, quando in ſanguine exiſtit pauca, uti fieri ſolet in aſcite, aliiſque affectibus, in quibus ſero deſtitutus eſt ſanguis, in phthyſi puta, tabe, ſudoribus nimiis, alvi fluxu, &c. Serum aut conſumentibus, aut per alias vias evacuantibus. Eædem imminutæ, quæ abolitæ ſunt lotii ſecretionis cauſæ ſed leviores, ac proinde eadem, ejuſdem curatio ſed facilior. Periculum autem abolitæ minatur ſecretio urinæ imminuta. Proportio ſeri ad ſanguinem ſumitur à proportione potus aſſumti ad urinam & cæteras non naturales collati. Augetur 3. totius urinæ in renibus ſecretio, quando plus ſeri tranſcolatur per ipſos quàm decebat, tum ratione aſſumti potus tum in primis ratione ſeri in ſanguine contenti Hæc aucta urinæ ſecretio excretioque, quia contingit aliquando peculiarem carunculaꝝ ad ſecretionem illam abſolvendam requiri diſpoſitionem patet, quamvis qualis illa ſit, non æque pateat, opera proinde in hanc rem impendenda eſt ſingulis, ut ex multorum collatis operis ſperandum, quod fruſtra exſpectatur ab

 unâ.

unâ. Interim acrimoniam ſeri auctam promovere poſſe ejuſdem ſecretionem auctam ſuadere videtur urina acrior, & ardens ſæpius ac copioſius reddita. Hęc acrimonia ſi comes obſervatur in aucta urinæ ſecretione ac excretione curabitur medicamentis partim acrimoniam infringentibus, acidis, partim eandem demulcentibus pinguibus, emulſionibus præſertim ex hordeo, amygdalis dulcibus, ſeminibus frigidis majoribus dictis, ut & papaveris albi & ſimilibus. Pro depravatâ ſecretione, ſi quis habeat 4. aliarum præter ſerum lixivioſum partium à ſanguine ſecretionem, hinc & cum urina excretionem præter naturalem, inter ejus ſpecies enumerandæ erunt 1. pinguedo urinæ innatans. 2. Humor quivis colore vario urinam inficiens. 3. Contenta varia in urinæ ſuperficie, medio aut fundo reperta, & variorum affectuum ſigna non contemnenda exhibentia, dummodo intra rationis & experientiæ cancellos concludantur, inde deſumi atque proponi ſolitæ prædictiones atque hariolationes. Pinguedo urinæ innatans ortum ducere videtur à parte ſanguinis oleaginoſa, aut urinis cæteris

mi-

miſta, ob ſui copiam uti fieri ſolet quãdoque ab oleo abundantius in cibo aut potu uſurpato ac rurſum cum urina quoque ut & alvinis fecibus excreto, aut ab iiſdem p. n. ſeparata, uti in ardentibus febribus quibuſdam colliquationis dictis quandoque accidit ac multis aliis corpus ſenſim conſumentibus, quod defectui aut inertiæ ſpiritus acidi adſcribendum putamus, defectui ex uſu continuo rerum ſale lixivioſo abundantium, & acidi ſpiritus parum vel nihil continentium, inertia, ex earundem rerum uſu ac præſertim ſpiritum acidum figentium cretæ puta & ſimilium, aut pinguium ſpiritus acidi vini obtundentium & obliterantium, quibus omnibus ſimul concurrentibus viſcidi generantur in corpore humores melancholici ex pituitoſis acquiſita majori viſciditate orti.

Ex pinguibus copioſius aſſumtis orta urinæ pinguedo facilè curatur emendando pinguium abuſum, aut ceſſando ab ulteriori ejuſdem uſu, quando ſcilicet medicamenti loco uſurpatur in doloribus nephriticis, aliiſve, quibus oleũ aſſumtum conducere teſtatur experientia. Urinæ innatens pinguedo in febri-

bus ardentibus quibuſdam contingens curatur cum earundem curatione, de quâ ſuo loco. Interim ſpiritus acidi defectus ſeparatur ejuſdem aſſumptione, ſed cum aliis temperati, aquâ præſertim & ſpiritu volatili.

Spiritus acidi inertia à copioſiore ſale lixivioſo aut illum figente cretâ & cæteris curatur 1. abſtinendo ab illo abuſu, 2. ſeparando & emendando noxam jam factam, idque educendo aut corrigendo humores pravos inde genitos, melancholicos viſcidos, quibus inſerviunt in primis gummata, Galbanum, Sagapenũ, Ammoniacum, &c. Ut & chalybs & omnia ex chalybe parata, ipſumque adeò vitriolum ♂tis, ubi obſervandum marciori commode in hiſce medicamentis ſal lixivioſum & ſpiritum acidum, quo facilius penetrant in humores viſcidos. Humores urinæ craſſitiem & tincturam conciliantes ſunt in primis bilioſi, utpote ſale lixivioſo aquæ facilè miſcibili atq; ſaturato colore præditi cum pituitoſi fundum magis petant & colore notabili deſtituantur. Signa proinde petentur ex urinæ conſiſtentia & colore diversè

in

in corpore exiſtentis peccantiſque bi-
lis, quæ ex cæteris ſimul concurrenti-
bus ferè tunc functionibus læſis & mo-
leſtiis aut doloribus facilius innoteſcat,
ac proinde quid agendum quemvis rei
attentum docebit.

Quæ ab urinæ ſubſtantia ſecedunt
ac in medio aut fundo ejus obſervantur
à pituitâ in primis ortum ſuum habere
arbitramur, cujus qualitates ex comiti-
bus functionibus læſis & moleſtiis ſi-
mul collatis facilius patebunt & aliun-
de peti debent.

Arenulæ denique tã in urinæ ſuperfi-
cie ac totâ maſſâ quàm vaſis lateribus
& fundo occurrentes utrique humori
bilioſo & pituitoſo concurrente nota-
bili terrę quantitate originem ſuam de-
bere ac idcircò facilius concreſcere at-
que coagulari videntur, de quibus o-
mnibus plura dicemus alibi.

De ſpirituum animalium generatione læsâ.

LÆditur ſpirituum animaliũ
generatio 1. quando abo-
letur, quod citra mox conſe-
quentem mortem fieri non

 vide-

videtur veriſimile. 2. Quando imminuitur, & pauciores præparantur, quàm ad ſanitatem requiruntur. 3. Quando augetur, & copioſiores producuntur. 4. Quando vitioſi conficiuntur ſpiritus & qualitate peccantes qualicunque. Aboletur ſpirituum animalium 1. defectu ſanguinis ad cerebrum cerebellumque delati, ob anguſtiam arteriarum tranſitum illi denegantium, aut ruptionem vulnuſve earundem ſanguinem aliò effundentium. 2. Oblæſionem magna cerebri ac cerebelli, ipſa inepta reddentem ſpirituum animalium à ſanguine perficiendæ ſecretioni, uti accidere ſolet ex jictu aut caſu gravi & cæteris. Atque utrobiq; mors ſolet eſſe in procinctu & malum incurabile. Pauciores quàm oportebat generantur animales ſpiritus 1. defectu ſanguinis, ob famem, parcioremq; alimentorum uſum, aut hæmorrhagiā. 2. Defectu partis ſpirituoſæ in ſanguine, ob alimenta ſpiritu volatili deſtituta, tempore longo uſurpata, vel ob fermentationis alimentorum in ventriculo defectum, hinc & ſpiritus volatilis in chylo inopiam. 3. Vitio cerebri ac cere-

cerebelli, ad ſpirituum animalium à ſanguine ſecretionem ineptorum. Curatur parcior ſpirituum animalium generatio, 1. augendo ſanguinem deficientem uſu alimentorum potenter nutrientium ſanguinemque reſtaurantiũ, juſculis puta carnis vervecinæ, vitulinæ, gallinaceæ & ſimilium, ovi vitellis, vino, cereviſiâ craſſâ, lacte dulci &c. aſſumtis iiſdem ad convenientem qualitatem ut debitè immutari queant. 2. Augendo partem ſpirituoſam, in ſanguine deficientem, exhibendo ſcilicet alimenta ſpiritu volatili turgentia vinum præſertim & quidem generoſum ac debitè fermentatum, vel promovendo deficientem alimentorum in ventriculo fermentationem, uſurpando illa, quæ fermentationem ac proinde partis ſpirituoſæ à cæteris ſeparationem promoveant, de quibus dictum eſt in ſuperioribus. 3. Emendando cerebri cerebellique vitium, ob quod ineptius redditur utrumque ſpirituum ſecretioni, quod quale ſit, cum nondum ſatis conſtet, ulteriori commendamus inveſtigationi, tam propriæ quàm aliorum uni veritati addictorum. Copioſius generan-

nerantur ſpiritus animales vel impropriè, vel propriè. Impropriè quoties parte ſpirituoſa turget ac redundat ſanguis. Propriè quoties nimium ſeparantur à ſanguine ſpiritus, quàm decebat. Impropriæ dictæ generationis animalium ſpirituum auctæ cauſa eſt ſpirituũ animalium conſumptio perſeverans, in vigiliis & ſtudiis attẽtione nimiâ, moleſtis corporis exercitiis protractis, venere laſciviore ſæpiuſque iteratâ, ut & ira diu continuata & furente ac ſimilibus, quibus exhauriuntur admodum ſpiritus animales, ac dum in deperditorum locum novi perpetuo generantur; parte ſui ſpirituoſa deſtituitur nimium ſanguis, non ſine manifeſto ſanitatis detrimento. Curatur impropriè dicta ſpirituum animalium aucta generatio, abſtinendo ab alimentis multo ſpiritu præditis, & uſurpando talia, quę parum ſpiritus continent volatilis, ut & mutando aërem ſerenum, in craſſiorem ac magis aqueum, qualis in hiſce obſervatur regionibus, paludibus & ſtagnantibus aquis refertis. Curatur propriè dicta ſpirituum animalium aucta generatio, 1. abſtinendo ab omni corporis animive mo-

ve motu atque exercitio nimio, ſpiritus animales conſumente, ac indulgendo quieti & ſomno. 2. Reparando in ſanguine deficientem partem ſpirituoſam per alimenta & volatili ſpiritu turgentia & facilè fermentabilia, non confertim, ſed partitis vicibus aſſumta. Vitioſi generantur ſpiritus animales & qualitate peccantes, quoties prçter partem ſanguinis ſpirituoſam volatilem aliud quid admiſcetur ipſis, aqua puta copioſior ſegniores ipſos reddens, aut ſpiritus aliquis ſalinus urinoſus incraſſans, qualis ex urina elici ſolet, ſpiritum vini coagulans, aut bilis eoſdem agitationes præſtans, aut aliud quid variè ipſos immutans. Prout namque variat id, quod animalibus ſpiritibus admiſcetur, ita variat quoque vitium ab illo ortum, ita variant ſymptomata vitium varium conſequentia, ita variare debet cura ſingulis vitiis debita varia. Aqua nempe copioſior ipſis admiſcetur, quia redundat ipſa in ſanguine ob alimenta aquea copioſius & diutius aſſumta, ob aërem humidum longo tempore attractum, ob ſomnum immodicum, ſegnitiem atq; intermiſſa corporis exercitia,

 ob me-

ob metum paucum diutius affligentem. Curabitur autem vitium à redundante aquâ ſpiritibus animalibus admiſta, 1. corrigendo diætam pravam, 2. minuendo evacuandoque aquam copioſius ſanguini admiſtam. 3. Purificando ſpiritus animales aquoſiores redditos aſſumendo ſubinde ſpiritum volatilem, vini puta, tam purum quàm aromaticum, qualis eſt aqua vitę Matthioli, aqua antiparalytica Diſpenſatorii Amſtelodamenſis, & ſimiles multæ. Spiritus aliquis urinoſus & coagulans ſpiritibus animalibus admiſcetur, quoties talis in corpore quacunque demum de cauſa vix explicabili reperitur, & vel cum ſanguine vel ſeorſim cerebrum petens animalibus jungitur ſpiritibus illoſque coagulat & torpidos efficit. Curatur hoc vitium uſurpando medicamenta narcoſin omnem tollentia, acetum acrerol. Sulphur. per camp paratū, & ejus accenſi odor, caſtoreum, nigellæ ſemen, ruta, ſinapi, raphanus ruſticanus, cepæ, ſquilla, & ſimilia, acri odore donata, hinc hæc naribus adhibeantur duntaxat, ſive internè quoque aſſumantur. Bilis ſpiritibus animalibus admiſcetur

tur facilius, ob ſpiritum volatilem ipſius compoſitionem ingredientem, illis autem admiſtam, eoſdem agitatiores efficere ſuſpicor & turbare ordinatum ipſorum motum, mutando enim in confuſum & hinc conſequenter ſubinde convulſivum partium motum. Curabitur hoc malum 1. ſi bilis ob ſui copiam exundans purgatione minuatur. 2. Ob ſui excandeſcentiam ferociens ſapientibus compeſcatur. 3. Ob ſui efferveſcentiam evaporans humorem acidum & bilioſum lenientibus coerceatur. Inter ſopientia ſunt opium & omnia opiata, inter cohibentia Sulphur vitrioli anodynum, bilis furorem pacans & leniens, de lenientibus humorem acidum dictum eſt in ſuperioribus.

De Pulſu p. n, immutato, hinc & de Febribus.

PEr pulſum intelligunt Medici cordis ventriculorum & arteriarum motum dilatatorium & contractione ſe mu-

tuô excipientibus conſtantem. Hujus motus gemini abſolutæ differentiæ V. ſolent enumerari. Quarum prima ab arteriæ expanſæ amplitudine majore vel minore deſumtæ, pulſum exhibet magnum, parvum, aut mediocrem. Secunda differentia ab arteriæ in ſuâ expanſione ictu vehementiore aut leniore petita, pulſum promit robuſtum, debilem aut mediocrem. Tertia differentia ab eodem tempore pluribus pulſibus conceſſo, longiore vel breviore deducta pulſum dat frequentem, rarum aut mediocrem. Quarta differentia à tempore unicuique pulſui abſolvendo diuturniore vel breviore dato, ita iſta pulſum conſtituit celerem, tardum aut mediocrem. Quinta differentia ab arteriæ pulſantis duritie majore vel minore ſenſu percepta denominata pulſum diſtinguit in durum, mollem aut mediocrem. Cauſam pulſus magni, parvi aut mediocris deducimus à ſanguinis rarefactione variâ, uti hanc rarefactionem à ſanguinis diſpoſitione varia, ab ejuſdem parte oleosâ, prout ſpiritu acido, ſale lixivioſo, ſpiritu volatili & aqua, vel magis vel minus imbuta eſt, pendente.

dente. Cauſam vero pulſus robuſti, debilis aut mediocris quærimus in ſpiritibus animalibus variis modis ad cordis muſculos fluentibus; eoſdemque vario modo contrahentibus. Cauſam pulſus celeris tardi aut mediocris ut & frequẽtis, rari aut mediocris, deducimus à ſanguinis rarefactione non majore quidem, de quâ jam dictum in pulſu magno, verum faciliore, vel difficiliore, adeoque citiore, aut ſegniore, pendente à bilis copia, vel acrimonia majore vel minore, concurrente ſpirituum animalium affluxu vario. Cauſam denique pulſus duri aſſignant vulgò inflammationem alicujus partis ſenſu ſubtili prę-ditæ, membranæ proinde, mollis verò affectum humidum partium membranoſarum omnium, uti mediocris conſtitutionem & diſpoſitionem laudabilem earundem partium membranoſarum omnium in corpore. Memoratæ pulſuum differentiæ abſolutæ vel naturales dici poſſunt, vel p. n. vel non naturales. Naturales quoties à naturali & propriâ partium conſtitutione pendent. Non naturales quoties aliquid in diæta commiſſum erratum ſequuntur

utra manifeſtam functionis alicujus læſionem. Præter naturales autem quoties à cauſis iiſdem non naturalibus pendentes comitem habent manifeſtã alicujus functionis ad vitæ naturalis beatitudinem neceſſariæ læſionem. Quoties vero p. n frequentior exiſtit pulſus toties febris adeſſe dicitur, aut febre laborare is, in quo talis obſervatur pulſus. Unicum namque atque pathognomonicum febrium omnium ſignum eſt pulſus p. n. frequentior utpote quo præſente adeſſe, abſente vero abeſſe febrem certo pronuntiare licet unicuique. Naturalis pulſus frequentioris cauſam diximus eſſe ſanguinis rarefactionem celeriorem, cor ad ſui contractionem crebriorem excitantem ac irritantem, quæ ſi cum manifeſta functionis alicujus læſione conjuncta obſervetur, morboſus & præter naturalis dicitur ille pulſus. Non naturalis pulſus frequentioris cauſa eſt quævis res non naturalis quocunque modo in ſui abuſu ita peccans, ut frequentior quidẽ & citra notabilem alicujus ad vitæ naturalis felicitatem requiſitæ functionis læſionem contingat. Quam primum

autem

autem frequentiori illi pulſui comes eſt notabilis alicujus functionis læſio, mox febre correptus dicendus venit ille homo. Quicquid proinde 1. frequentiorem cordis dilatationem hinc & contractionem per naturalem producere poteſt, id omne febris cauſa dicendum eſt. Quicquid 2. etiam citra cordis dilatationem auctiorem idē ad contractionem ſui p. n. frequentiorem aptum eſt irritare, id omne pro febris cauſa habendum, adeò ut conſideratis omnibus quæ per naturam frequentioris pulſus cauſa exiſtere poſſunt, tres febrium differentias eſſentiales à cauſa petitas inveniamus. Nam 1. ſanguis p. n. nimium rareſiens in corde febris cauſa erit. 2. Acris humor quivis citra auctum ſanguinis incendium & rarefactionem cor ad p. n. frequentiorem ſui contractionem mordicando irritans, cauſa erit febris, citra auctum neceſſariò calorem homini moleſtum. 3. Flatus vel in cordis ventriculis excitatus, vel cum ſanguine ad cor delatus, & ventriculos valde diſtendens, hinc ad ſui contractionem continuam & p. n, frequentiorem impellens cauſa

erit

erit febris anguſtantis & valde angentis hominem. In prima ſpecie febrium præter pulſum frequentiorem obſervatur ſéper pulſus major, corporis quoq; univerſi calor inſignis, iſque aliâs blandior; aliâs acrior. In ſecũda ſpecie febriũ prçter pulſum frequẽtiorem obſervatur ferè pulſus parvus & acrior cutis univerſæ contactus. In tertia ſpecie febriũ præter pulſum frequentiorem obſervantur cordis anguſtiæ inexplicabiles pulſusque ferè compreſſus & obſcurus. Primariæ febrium ſpeciei cauſa ſemper exiſtit bilis ſanguini copioſius permixta aut acrior ipſumque magis inflammabilem præſtans, ſive rectà ex fellis folliculo, ſecundum venæ portæ ductũ per ductus hepaticos eò deferatur, ſive prius per ductum inteſtinalem ad inteſtina delabatur, ac inde per chyli ductus ad venam axillarem ſeu jugularem aſcendens, ſanguini ibidem confuſa cum eodem ad cor pertingat. Ubi rectà ſanguini jungitur bilis continua, ubi prius ad inteſtina pergit, intermittens febris produci ſolet.

Secundæ ſpeciei febrium cauſa exiſtit, quicquid acrimonia ſuâ citra ſanguinis

guinis auctum incendium cor veſſicare poteſt, atque ad frequentiorem ſui contractionem p. n. irritare. Cum autem in ſuperioribus docuerimus præter ignem nullum nobis quid meminerimus occurriſſe hactenus acre, n. ſi ſalem lixivioſum & ſpiritum acidum, idcircò ab hiſce duobus duntaxat ſanguini confuſis ſecundam febrium ſpeciem deducendam omninò conſemus. Quoties enim eadem ſanguini ſunt permiſta, toties ipſa temperantur à ſanguine nec mordicare poſſunt cordis parenchyma, ipſum ve ad frequentiorem ſui contractionem irritare. Quoties vero & quatenus ſanguini duntaxat confunduntur impermiſta adeoque non temperata cum ipſo feruntur & cor ingredientia ad frequentiorem ſui contractionem lancinatione continuâ ipſum adigunt. Confuudúntur autem duntaxat ſanguini ſal lixivioſum & ſpiritus acidus, quoties aut ita affecta ſunt ut illi permiſceri nequeant, aut copiâ nimiâ exiſtant, quàm ut à ſanguine temperari poſſint. Tertiæ febrium ſpecies cauſæ exiſtunt flatus, vapores, halitusve p. n. vel in ipſis cordis ventriculis

culis vel in vaſis ſaltem producti, vel aliunde ad ſanguinem delati & hîc quoque cordi communicati. Conſideratur autem in omni flatu vel vapore tum materia ex quâ, tum efficiens à quâ producuntur. Materiam ex quâ cenſemus pituitam & quidem variam, tenuiorem quidem vapores, craſſiorem vero & viſcidiorem flatus. Efficientem cauſam flatuum & vaporum in corpore excitatorum aliam non oſtendimus quàm bilem, eamque multifariam, qualem non rarò & in corpore obſervamus & excretam obſervatã obſervamus tum per vomidum, tum per ſeceſſum. Cũ autem tam à bile, quàm à pituitâ pendeant flatus & vapores quãdiu ſupra bilẽ dominatũ obtinet pituita, tãdiu non tã calor in corpore ſentitur quàm frigus, quam primum autem pituitæ vim exſuperat bilis operatio, non frigus ſed calor ægrum vexat, diſcuſſis ſcilicet flatibus aut vaporibus ex pituita cum bile efferveſcente productis.

Hoc autem patet manifeſtiſſimè in febribus intermittentibus pleriſque, quarum pars prior frigore comitata debetur flatibus, vaporibuſque à pituitâ eleva-

elevatis. Pars v. poſterior calore moleſta debetur bili pituitam conjunctam & flatulentam ſuperanti, ſeque à pituitæ vinculis & impedimentis liberanti & extricanti, ac tunc ſanguinis incendiū majus promoventi adeò ut in febribus intermittentibus omnibus frigore hinc & calore alteratim moleſtis, prima febrium tertiam excipiat & conſequatur, ac ſic utraque tunc ſucceſſivè ægros affligat. Quamvis non ſemel obſervetur tertia ſpecies ſola ægros infeſtare, quando ſcilicet frigus perſeverans ipſos urget continuò nullo calore notabili ſeſe manifeſtante, idque ob pituitæ exſuperantiam & bilis penuriam. Curabitur prima febrium ſpecies cum calore intenſiore juncta, emendando bilis acrimoniam, & minuendo per evacuationem ipſius copiam.

Emendant bilis ſale lixivioſo volatili conſtantis acrimoniam, in primis acida omnia, cum ſpiritu volatili alterata ut & aquea. Evacuant eandem deorſum cholagoga dicta, rhabarb. Scammon. Tamarind. &c. Surſum vero pleraque vomitoria antimonialia prȩſertim. Sanguis autem p. n. amplius accenſus ad medio-

ad mediocrem calorem ducitur iiſdem acidis, aqua aqueiſve prius bene dilutis. Idem ſanguis p. n. nimium accenſus & ſuffocationis periculum nimiâ ſui rarefactione & vaſorum repletione quandoque minans, quoties ſc. ſpatium minus, capax ipſi capiendo ſuppeditant vaſa, temperatur ac minuitur. A ſuffocationis autem periculo ſimul liberantur ægri, per ſanguinis è venâ ſectâ eductionem convenientem, & affectus vehementiæ ſuſtinentem. Curabitur ſecunda ſpecies febrium, primò corrigendo acrimoniam ſalis lixivioſi per acida, cum ſpiritu volatiſi juncta, ut & pinguia aquæ miſcibilia. Illi uſui inſerviunt ſpiritus Salis, vitrioli, nitri, ol. Sulph. per camp. parat &c. Si prius cum ſpiritu Vini digerantur, aut aliquoties ſimul cohobentur, atque miſtura conveniente diluantur & per vices exhibeantur. Huic autem uſui inſerviunt emulſiones ex ſeminibus variis paratæ & ſubinde uſurpatæ. Curabitur 1. corrigendo acrimoniam ſpiritus acidi, & quidem tum per ſpiritum volatilem Vini, tum per ſalem lixivioſum, tum per concentrantia eundem, tum

tum per pinguia eaque omnia aut ſeorſim exhibita aut variè inter ſe miſta & uſurpata, inprimis per ſalem lixivioſum volatilem factum. Curabitur 3. febrium ſpecies, 1. ac inprimis corrigendo ac emendando pituitam, quocunque modo peccantem, vel expurgando eandem redundantem. Pituitam aquoſiorem ac minus viſcidam emendant pleraque ſale lixivioſo etiam minus volatili prædita. Emendant eandem viſcidiorem omnia ſale lixivioſo valde volatili conſtantia, ut & acida ſpiritu volatili alterata & aut utraque ſimul juncta. Pituitam aquoſiorem evacuant hydragoga dicta, rad. Jalapp. cortex, folia, aliaque à ſambuco petita &c. viſcidiorem colocynthis, Turbith gummoſum, hermodactyli, Mercurius tam præcipitat⁹ quàm ſublimatus. Curabitur eadem tertia febrium ſpecies 2. emendando bilem qualitate quacunque peccantem, aut educendo eandem quantitate excedentem, & quidem per medicamenta in ſuperioribus memorata.

Appendix de febribus

CUi Logica febrium tractatio [Grammaticam enim ridemus] utpote Philoſopho neutiquam in Etymologia eaque anxiâ ſterili , imò ægris ſæpè noxia vocabulorum ſolo uſu valentium eruderatione vel ex fractis lapidibus aliquid componere cum calce contortuplicatione, roſione atque corroſione, verùm in rerum ipſarum notitia plenè planèque eruenda occupato indignam, cui inquam logica febrium tractatio preſſior quàm Medicis, uti aliàs Practicis omnibus & in vitâ communi commodè verſantibus hosque ipſos duntaxat curantibus uſitata laxior magis placet, is ſequentia notet, ac cum præmiſſis ex quibus hæc ſponte fluunt, aut facilè ſaltem elici poſſunt, conferat & rem totam eodem redire obſervabit. Febris eſt morbus ſeu diſpoſitio vitioſa contentorum in cordis ventriculis, præter ſanguificationis læſionem cor ad ſui contractionem frequentiorem cogen-

cogentium. Continetur in cordis ventriculis vel ſec. naturam ſanguis, vel p. n. humor quivis, aut vapor, flatusve à ſanguine diverſus, atque ſanguini aut permixtus, aut confuſus. Sanguis malè diſponitur, fitque febrilis, quando vel nimium vel citius rareſit, quàm decebat: nimium rareſit ſanguis ob bilem copioſius ipſi admiſtam. Citius rareſit ſanguis ob eandem bilem nimis inflammabilem ipſi accedentem. Permiſcetur p. n. ſanguini & ipſum inficit humor pituitoſus vel alius quis toto genere peccans, & contra naturæ ordinem in corpore repertus, atq; nunc flatulentia ſua, nunc acrimonia, nunc incendio, ad frequentiorem ſui contractionem cor urgens. Confunditur eidem ſanguini p. n. humor quivis aut vapor flatusve, qui cum eodem in cordis ventriculos delatus ipſos vel acrimoniâ ſua vellicando, vel ſui rarefactione diſtendendo ad frequentiorem contractionem cor adigit, ac ſimul cum ſanguine quaquaverſum propellitur, partibus inutilis & gravis aut noxius.

De

De motu ſanguinis circulari læſo & inde ortâ inflammatione.

MOvetur ſanguis in cordis ventriculis perfectus per arterias in univerſum corpus, ac inde rurſus per venas ad eosdem cordis ventriculos. Hic ſanguinis motus, opus eſt, ut pateant vaſa hæc ubique, ſitque tranſitus liber ex arteriis in venas, ſive hoc fiat immediatè, ſive per partium parenchyma, in tali caſu vaſorum more dubio procul patulum & ab arteriis ad venas, iisque dictus emulcens. Unde quoties anguſtia tanta occurrit in prædictis aut intermedio parenchymatum hiatu, conſervatur ibidem continuò appellens ſanguis, expanduntur ſenſim magis magiſque vaſa donec tandem rupta ſanguinis in partes vicinas effuſione viam præbeant minus magiſque patentem. Vaſorum anguſtia oritur ut plu-

utplurimum ex compreſſione, vel ex obſtructione. Compreſſio à tumore vicino fit, aut à vinculo extrinſecus parti vaſique circumjecto. Obſtructio fit ab humoribus pituitoſis, craſſis & viſcidis vaſi impactis, ipſumque replentibus & obturantibus.

Pituita in ventriculo & inteſtinis ſ. n. contenta, primò aëris externi æſtu vel ſolaris, vel ignis accenſi liquatur in corpore mobilior fit, & in vaſa deducta unà cum ſanguine per ipſa cietur. 2. Eadem pituita corporis exercitio ac motu funditur & itidem fluidior facta motui in vaſa diſponitur. 3. Eadem pituita ab aſſumptis aqueis & ſpirituoſis cum ſale lixivioſo præſertim junctis & calidis ſolvitur, ac ſimul cum ipſis in vaſa tranſit. Vti autem calore concurrente promovetur pituitæ per vaſa motus, ſic contra primò ad externi frigoris occurſum iterum coagulatur in gelatinam quaſi, unde mox vaſi adhærens in eodem quieſcere incipit, ac moveri deſinit, donec ſenſim accumulata ſuſtinenti quantitate pituita vas repleat ac obſtruat. 2. Ad potus frigidi ac inprimis copioſi aſſumptio-

nem liquata fluensque pituita iterum cogitur, inſpiſſatur & ut ad priſtinam conſtitutionem redeat, diſponitur, ſuperata ſcil. parte igneâ ipſi quocunque modo juncta ipſamque liquante à pituita proinde vel extra vaſa vel in majoribus præſertim vaſis duntaxat conſiſtente liquata, hinc & in minoribus vaſis denuò concreſcente oritur, in ipſis obſtructio, hinc affluente continuò ſanguine eorundem vaſorum diſtentio, tandemque ruptio. Sanguis autem ex rupto vaſe in partes vicinas effuſus, ibidem utpote extra locum naturalem conſtitutus mox incipit mutari in pejus & corrumpi, ac ſimul partem affectum diſtendere, inque tumorem attollere, atque tam diſtenſione quàm calore comite eandem dolore afficere, & ſi ſuperficiaria ſit, rubedine inſuper tingere, ſicque inflammationem parere, quia in abſceſſum abeunt, ex ipſo aperto effluit pus, pro ſanguinis diverſitate varium, adeò ut inflammatio definiri poſſit, partium quarumvis à ſanguine ex apertis vaſis in ipſos effluente, ipſasque diſtendente, hinc ad ſuppurationem tendente calefactio & incen-

incenſio p. naturalis atque dolorifica. Idem ſanguis non in partium ſubſtantiam ſed cavitatem effuſus, & in pus mutatus empyema facit. Eſt enim empyema propriè & ut ab apoſtemate diſtinguitur ſanguinis extra vaſa ſua effuſi & in pus converſi collectio in cavitate aliquâ ſeu ventre, thoracis puta, abdominis & cæterorum. Unde non rarò ex abſceſſu fit empyema, quando ille rumpitur, non foràs, ſed intrò verſus cavitatem corporis quamcunque. Generatur proinde empyema duobus modis, 1. ex ſanguine in cavitatem ipſam effuſo, atque ibi in pus converſo. 2. ex ſanguine inflammationem & apoſtema faciente, adeoque in pus verſo, & tum demum in cavitatem erumpente, atque in ipſa collecto. Prioris empyematis exemplum dat vulnus in cavitatem thoracis penetrans cum ſanguinis copioſi in ipſam effluxu, hinc in pus corruptione, poſterioris pleuritis poſt ſuppurationem in thoracis cavitatem rupto, ſeque exonerante abſeſſu: adeò ut in omni inflammatione functio primariò læſa, ſit ſenſus externus calore atque dolore affectus,

 mor-

morbus verò primarius ſit ipſa pars à ſanguine extra vaſa ſua effuſo, & ibidem in pus ſenſim mutato male affecta, & à naturali ſtatu mutata, cauſa denique morbifica ſit ipſe ſanguis extra vaſa ſua effuſus, hinc in pus tranſiens, effuſionis verò ſanguineæ vaſis ex diſtenſione apertio, hujus autem ſanguinis in vaſe accumulato accumulationis obſtructio à pituita prius liquatâ & in vaſa deducta, hinc denuò à frigore coagulata & in ipſis hærente. Curabitur autem inflammatio 1. impediendo ne plus ſanguinis effluat in partem augeatque malum. 2. Corrigēdo & tollendo ſanguinem extra vaſa effuſum, & cum calore & tumore dolorem in parte excitantem. 3. Promovendo puris generationem & eductionem hinc & affectæ partis in integrum reſtitutionem. 1. Impedietur ulterior ſanguinis effluxus, tum deducendo aliò ſanguinem ampliùs erupturum, tum tollendo anguſtiam in vaſis ortam, & inprimis obſtructionem tum promovendo vulneris in vaſe facti ſanationem, quamvis in vaſis minoribus mox & ſponte fiat, ubi ſublata fuerit

ejuſdem

ejusdem cauſa. 2. Deducitur aliò eru-
pturus amplius ſanguis per V. S, in tali parte præſertim inſtitutam, ut planè contrario feratur inde ſanguis motu, & avertatur à parte affectâ, nullus namque poſito circulari ſanguinis motu revulſioni locus eſt, cum per eandē viam per quam ad partem quamlibet delatus eſt, ſanguis revelli & in contrarium deduci nequeat, per arterias namque è corde effertur, per venas verò refertur ſanguis, non per arterias, quòd omninò fieri deberet, ſi revulſio eſſet poſſibilis, in quâ per eandem viam refluere deberet ſanguis, per quam ad partem affectam affluxit, affluitve.

Tolletur anguſtia in vaſis orta à compreſſione, auferendo & removendo ejus cauſam, ab obſtructione autem ſolvendo, liquandoque iterum pituitam vaſis impactam & quidem per medicamenta ipſam incidentia & attenuantia ſale lixivioſo & ſpiritu volatili, & quandoque acido ſimul prædita, qualia ſunt ſudorifera pleraque, tantùm in principio inflammationum præſtantia, ut ſola ſæpè ipſas tollant & curent, cavendum interim, ne nimium

urgeatur ſudor, ſed diſponatur potius ad ſudorem corpus, ſicque fluxiles reddantur iterum humores pituiroſi, cui uſui inſervire poſſunt aliquando etiam externa varia incidentia, attenuantia & ſimul anodyna. Promovebitur ſolutæ unitatis in vaſis ſanatio exhibendo ſimul medicamenta adſtringendi vi prædita, ſanguinem draconis, lapidem hæmatitem & ſimilia.

Corrigitur ſanguinis extra vaſa ſua effuſi ardor temperantibus eundem acidis præſertim. Tolletur verò ſanguis ex parte affecta tum in principio facta in ipſo quoties commodè licet apertione, antequam is ſuppuretur, tum reſolvendo & diſſipando eundem, antequam ſit ibidem mutatus in pus. Reſolvunt ſanguinem extra vaſa ſua effuſum, eumque per poros eliciunt ac conſumunt, non tàm interna, ſudorifera puta, ſpirituoſa, aq. theriacal. ſpiritus Tartari & ſimilia, ſed inſuper externa, cataplaſmatis præſertim forma exhibita & attenuandi, ſiccandi, incidendi & coagulationem ſanguinis omnem impediendi vi prædita, hæcque cum aqua & vino præparari debent. V-

biau-

bi autem nec evacuari, nec conſumi poteſt ſanguis inflammationem excitans, promovenda puris confectio, hinc & ejusdem eductio ac tandem partis læſæ in integrum reſtitutio. Puris generatio promovetur medicamentis emollientibus dictis, tam internis quàm externis quacunque formâ uſurpatis. Ejuſdem puris confecti eductio quoties licet tutiſſimè inſtituatur, per affectæ partis apertionem chirurgicam, per partes enim internas, quoties fieri convenit, toties id cum ægrorum periculo accidit majori, ob empyematis aut alterius partis intermediæ à pure transeunte lædendæ metum. Pars à pure ſuo liberata reſtituitur in medicamentis ulcus mundantibus hinc & conſolidantibus, inter quæ non poſtremum locum obtinet balſam. ſulph. cum thereb. optimæ ſpiritu oleoſo paratus & tam internè aſſumptus, quàm externè parti apertæ immiſſus, & utrique medicationi abundè ſatisfaciens, ſicque ulceris curationem non parum accelerans. ℞ Aq. plantag. ℥ ij. a. cinam. quando labefactantur vires, acet. ſtillat. ana ℥ß. ſang. dracon. ℈ß. ſyr. myrtin. ℥ß. Mi-

ſtura. De quâ ſubinde accipiat æger cochleare j. in omnibus affectibus in quibus ſanguis effluet ad miraculum conducit, ſive ab interna ſeu externa cauſa originem deduxerit malum.

Appendix de Inflammatione.

QVæritur non immeritò, quænam ſit vera in inflammatione ſanguinis in pus mutati cauſa & ratio, illa namque vel in ipſo ſanguine vel in parte affecta quærenda. Pars autem ipſa cùm à ſanguine inprimis atque animali ſpiritu omnem naturalem mutationem accipiat, vix ab ipſa expectanda venit ſuppurationis cauſa. In ſanguine verò ipſo vix alia hic obſervatur mutatio quàm loci, neque enim ſ. n. extra ſua vaſa effundi debet ſanguis, ſed per ipſa continuò propelli, dum durante illo motu partibus ſingulis accedat, quod ad ipſarum requiritur nutrimentum & augmen-

augmentum privatum uſumve publicum. Quid autem ob illam loci mutationem ſanguini accidat, ut primùm ardentior fiat, partemque inflammet, hinc ſuppuretur, iterum quæritur: An pars ſanguinis ſpirituoſa vel ſpir. ejus volatilis ſenſim in partis ſubſtantiam, mox in auras avolat, deſinitque tam lixivioſum ſalem ſanguinis quàm ſpiritum acidum temperare, unde acrior excitatur quàm prius iſtorum effervescentia, hinc & major calor, donec paulatim eadem ſedata in pus abeat tota in parte affecta hærens maſſa ſanguinea. Eſt enim tam ſubtilis ſpiritus volatilis, ut compedibus ſuis liberatus mox avolet, ni intra vaſa firma contineatur & coërceatur, partium autem ſubſtantia ipſum coërcere non poteſt, quin per ipſam penetret facilè atque abeat in auras, quoties ex vaſis ruptis in ipſam effunditur ſanguis.

(***)

De chyli per lacteas venas motu impedito, hinc & orto Aſcite.

Quemadmodum ſanguinis motus impeditur ex vaſorum à pituitâ orta obſtructione, eamque conſequitur vaſorum à ſanguine continuò affluente diſtentio, mox ruptio, & tandem ſanguinis ex vaſis effuſio, ita chyli per venas lacteas motus impeditur itidem à pituitâ, prædictas lacteas obſtruente. Ab accumulato autem in lacteis chylo diſtenduntur eadem, ac tandem rumpuntur, unde effuſus in abdominis cavitatem ibique collectus chylus Aſcitem parit, hancque putamus frequentiſſimam aſcitis cauſam. Oritur autem illa in lacteis venis obſtructio à pituita in ventriculo & inteſtinis præſertim contenta & à calore quidem ſoluta, ab humiditate verò aqueâ ſpirituoſave diſſoluta & in lacteas deducta,

ab externo verò frigore per denudatum ventrem penetrante, aut potu frigido liberalius hauſto & mox ad inteſtina deturbato iterum coagulata & viſciditatem priſtinam adipiſcente, inq; vaſis hærente. Accidit enim nonnunquam in febribus ardentiorib⁹ & continua ſiti ægros torquentibus, ut ex frigido potu copioſius aſſumpto intra paucos dies oriatur Aſcites. Quando autem à tali non univerſali quidem aut plerasque ſaltem lacteas venas occupante, unde brevi contingit Aſcites, at in quibuſdam duntaxat venis, urgente obſtructione orietur Aſcites, is cognitu difficilis eſt, circa ſua initia, quoniam non in partis vicinæ ſubſtantiam, unde tumor aliquis mox ſe manifeſtare poteſt, verùm in cavitatem, quæ lentè duntaxat collectionis ſuæ ſigna præbet, exoneratur chylus. Unde in principio quidem haud difficilis eſt curatu talis Aſcites, qui protractus ad aliquod tempus difficilius curatur, atque tandem incurabilis. Suſpicio autem imminentis ut & incipientis Aſcitis prædicti, ſumitur 1. à conſtitutione corporis pituitoſa, ipſaque adeò pi-

tuita

tuita per os, per alvum dejecta, aliisque pituitæ generationem promoventis diætæ vitiis.

2. Ab aëre æſtuante non conſueto uſurpato ut & corporis exercitiis ſolito vehementioribus, aliisque pituitam ſolventibus, & in vias lacteas propellentibus. 3. A gravitate atque moleſtia in abdomine percepta. 4. A fluctuatione in eodem obſervata & ſenſim augeſcente. 5. Ab urina, quod quantitate potus aſſumpti parcius excreta, & ſimilibus aliis idem docentib' ſignis. Curabitur autem enarratus Aſcites 1. ſolvendo humorem pituitoſum obſtructionem facientem, eundemque inde removendo per medicamenta incidentiaa, ttenuantia, abſtergentia, expurgantia, diuretica, & ſudorifera dicta. 2. Evacuando & expellendo chylum in aquam mutatum & in ventris cavitate collectum, per hydragoga dicta, ut & ſudorifera, atque etiam per externa, thermas puta, balnea, &c. denique per paracenteſin. 3. Sanando lacteas venas ruptas, decocto ex vulnerariis plantis parato, vel miſtura cum ſanguine draconis, lapide hæmat. & ſimilibus adornata.

De

De Reſpiratione læsâ.

Reſpirationis duæ ſunt partes, aëris puta in pulmonum branchia inſpiratio, & reciproca ejuſdem exſpiratio.

Hujus reſpirationis læſiones variæ ut magis pateant, reſpirationis naturalis cauſæ videntur præmittendæ. In inſpiratione autem & pectus attolli & diaphragma deorſum, venterque extrorſum propelli obſervatur. In exſpiratione contra & pectus detrahi & venter introrſum, hinc & diaphragma ſurſum propelli obſervantur. Sales autem hi motus per muſculos, [nam & diaphragma muſculus eſt,] perficiuntur, ſuntque voluntarii, ad voluntatis enim initium augeri, minui, concitari, tardari, aliisque modis imitari poſſunt. Hunc partium enumeratarum motum ſequi videtur pulmo, quamvis non negaverim ab influente è dextro cordis ventriculo ſanguine expandi forte jam quodammodo pulmonem, non tamen ſufficienter ad neceſ-

ſarium ſanguinis in ſanis refrigerium & ventilationem, verùm pro ſanguinis incendio in corde diverſo irritari diverſimodè ſenſum & urgeri ſpirituum animalium ad reſpirationi dicatos muſculos propulſionem itidem diverſimodè, adeò ut in pulmonibus motum dilationis conſiderem à duabus cauſis diverſis productum, & 1. quidem à ſanguinis per pulmonalem arteriam è cordis ventriculo dextro in ipſum propulſi æſtu ſpongioſum ac leve pulmonis parenchyma tantillum expandente. 2. verò & inprimis à diaphragmate & muſculis thoracem attollentibus ob irritationem ab eodem ſanguinis æſtu pendentem motis & ſpatium à quo expanſus ſe recipiat pulmo præbentibus. Sic & vice verſa in iiſdem pulmonibus motum contractionis conſidero itidem à duabus cauſis diverſis productum, & 1. quidem à pulmonis parenchymate ſponte ad temperatum ab inſpirato aëre ſanguinis æſtum iterum ſubſidente. 2, verò & inprimis à muſculis abdominis omnibus, ut & cæteris thoracem detrahentibus deorſum in inſpiratione prius expanſis, nunc verò viciſſim con-

tractis,

tractis, ſpatiumque pulmoni anguſtius præſtantibus ſimulque ipſum ad ſubſidentiam cogentibus. His autem præmiſſis conſiderandæ ſunt jam læſæ reſpirationis differentiæ, ſingularumque cauſæ, hinc & curatio, ubi prius addiderimus, putare nos aërem inſpiratum non tàmen conſervando igni cordis interno quod & ſtrangulatio & ſuffocatio demonſtrant, verum inſuper ſanguini per pulmones circulanti variè alterando, quod totius corporis mutatio non aëris mutationem contingens confirmat inſervire.

Læditur autem utraque reſpirationis pars, inſpiratio & exſpiratio variis modis: nam inſpiratio hinc & exſpiratio vitiatur. 1. Quando in totum aboletur, in ſtrangulatione aut ſuffocatione. 2. Quando imminuitur & parva fit, aut naturali minor. 3. Quando augetur & magna fit, aut naturali major. 4. Quando cita fit ac frequens. 5. Quando contra tarda fit & rara. 6. Quando cum difficultate fit, & gravius procedit, inſpiratio præſertim. 7. Quando interrumpitur. 8. Quando aliis præterea ſymptomatibus conjungi-

jungitur, ſtertori, tuſſi, ſingultui, ſternutationi, oſcitationi, ſuſpiriis &c. Cum 1. aeris inſpiratio & exſpiratio fiat per os & nares, hinc per fauces & pulmonum bronchias, aſperam arteriam, patet vias has omnes requiri patentes, & omnibus modis benè diſpoſitas ad reſpirationis integritatem. Cum 2. pulmones explicari ſoleant in aëris inſpiratione, iterumque ſubſidere in ejuſdem aëris exſpiratione, patet quoque molle ac ſpongioſum deſiderari pulmonum parenchyma, ut integra fiat reſpiratio. Cùm 3. & diaphragma & thoracem attollentes muſculi ſerviant inſpirationi, abdominis autem aliique thoracem detrahentes muſculi miniſtrent exſpirationi, patet & horum motum omnium integrũ deſiderari ad reſpirationis integritatem. Cùm 4. ſanguinis è cordis ventriculo dextro in pulmones petruſi æſtus cauſa ſit inſpirationis, patet hujus æſtus deſiderari perpetuitatem ad reſpirationis integritatem. Sed & hinc patet quoties vitio aliquo ſcatent

maleve diſpoſita ſunt hæc ad reſpirationem integrè inſtituendam requiſita, aliudve non requiſitum adeoque noxium in hiſce partibus obſervatur, toties lædi reſpirationem. Nam 1. aboletur reſpiratio, quando liber aëri denegatur tranſitus, ſive os vel nares occludantur ſive fauces conſtringantur in ſtrangulatione, vel repleantur in ſuffocatione, ſive pulmonum bronchia repleantur itidem in ſuffocatione, tum à cauſis internis, catarrho ſuffocante inde dicto, ſanguine vel pure undecunque erumpente in bronchia, tum à cauſis externis, aquâ in ſubmerſione, aliisve perperam aſſumtis, aut illabentibus cibo, potu, muſca, aliisve, quibusvis. 2. Imminuitur & quàm decebat minor fit reſpiratio, quando vel pulmones minus molles ſunt, minusque explicabiles, vel muſculi reſpirationi inſervientes malè affecti ſunt & malè diſpoſiti ad motum ſuum integrum perficiendum quod inprimis fit in eorum inflammatione & hinc excitato dolore, quoties ſcilicet læſi ſeſe contrahunt aut oppoſitos læſos extendunt

ni in corde minor, concitatur quàm decebat. 3. Augetur & quàm naturaliter fieri debebat, major fit reſpiratio, quando auctus eſt p. n. ſanguinis æſtus in corde, unde & majus deſiderat refrigerium & ventilationem, cui ſatisfacit aucta reſpiratio. 4. Cita fit & ſolito frequentior reſpiratio quando uſui aucto non ſatisfacit aucta reſpiratio vel ſatis magna fieri nequit, ob cauſas in minore reſpiratione propoſitas, unde frequētia ac celeritate compenſatur quod eſt in magnitudine defectus. 5. Tarda fit & rara reſpiratio, quando p. n. imminutus eſt ſanguinis æſtus, aut deficiunt vires animales, ſpiritus puta, motui muſculorum perficiendo neceſſarii, ſuntve turbati valdè in animi affectu gravi. 6. Cum difficultate fit reſpiratio, quando non in totum, aſt ex parte tantum impeditur partium reſpirationi inſervientium motus, ob levem in ipſis occurrentem ad motum ſuſtinendum ineptitudinem pulmonum puta levem duritiem bronchiorum vias ex parte abſceſſas &c angustiores etiam à vaporibus ſive flatibus cum ſanguine in pulmones penetran-

tran-

rantibus & anhelationi anſam præ-
entibus. 7. Interrumpitur reſpira-
io, quoties aliquid non expectatum,
ut non ſatis proviſum, aut non ſatis
uperabile intercurrit, & ad contra-
rium motum urget, aut priorem ſaltem
iſtit, idque pro occurrentibus impe-
dimentis variis variè, quæ omnia in
ſingulis concurrentibus tunc affectibus
deducentur commodius.

De Curatione reſpirationis læſæ.

CVm vitæ ſit neceſſaria inprimis reſpiratio & ita quidem ut citra illam ne per momentum quidem in vita ſuperſtes eſſe poſſit homo, patet ſummum ex ipſius læſione, graviore præſertim impendere homini vitæ periculum. Vnde 1. abolita reſpiratio mortis comes, imò cauſa eſſe ſolet, intereſt proinde impediatur illa & præcaveatur in tempore. Fiet autem illud 1. non concedunt, magis urgente vel æſtus ſangui-

ni in

dendo ſcilicet ut vincula illa collo circumjecta ſtringantur arctius aut diutius. 2. Cavendo ab omnibus os & nares obturantibus, fauces obſtruentibus, bronchia replentibꝰ, aut eadem omnia mox removenda, expectorandove, quacunq; demum viâ & ratione. Quæ in pulmonum bronchiis hærent per tuſſim voluntariè & ſponte excitatam non rarò expelluntur feliciter, ut & nonnunquam per vomitum ſponte vel arte contingentem, cujus vi ac violentiâ videntur ſimul ejici contenta in pulmone.

De reſpirationis imminutæ curatione.

Imminuta reſpiratio ob pulmones minus molles, minuſque explicabiles curabitur uſurpando medicamenta humores tenaces & viſcidos à quibus infarciuntur pulmones aut glandulæ in pulmonibus exiſtentes, incidentia, attenu-

ɛnuantia & ſale volatili acriori abun-
antia, ut & expurgantia eoſdem hu-
nores iiſdem medicamentis præpara-
s. Eadem imminuta reſpiratio ob mu-
ſculos ipſi ſervientes male diſpoſitos
urabitur ipſis curatis. Imminuta reſpi-
atio ob imminutum in corde ſanguinis
ſtum curabitur aucto eodem æſtu, de
uo mox pau a. 3. Aucta reſpiratio
b æſtum ſanguinis in corde auctum
urabitur ſedato eodem ſanguinis æſtu
ucto, æſtus à bile pendet & quidem à
ale ejuſdem lixivioſo atque oleo ipſi
ncorporato quod utrumque temperat
k debellat ſpiritus acidus. 4. Cita
requentiorque reſpiratio ob eundem
anguinis æſtum producta, eodem quo
lictum curabitur modo. 5. Eadem
mminuta reſpiratio ſuccurrens cura-
bitur illâ curata. 6. Tardior & rarior
eſpiratio imminutum p. n. ſanguinis
eſtum conſequens, curabitur eadem
rte aucto, augebitur autem exhibendo
al volatile acre & aromaticum quale in
lleriſque reperitur aromaticis amaris.

Eadem ſpirituum animalium defe-
ctu debita curabitur eorundem pro af-
fectuum comitum varietate ac natura
repara-

reparatione convenienti inprimis per ſpiritum vini,tam ſimplicem quàm ab aromatibus deſtillatum, aut ipſis affuſum,& tincturæ nomine venientem ſive purum,ſive quod reſtat aliis liquoribus aqueis dilutum. Quæ cum difficultate fit reſpiratio aut interrumpitur,curabitur ſublatis affectibus à quibus pendet, quorum quædam ſubjungemus exempla.

De Tuſſi.

Tuſſis eſt ſubita & valida exſpiratio cum vocis interruptæ contentione, corporiſq; agitatione ſeu excuſſione ad expellendum id quod reſpirationis organa p. n. vellicando ad comitatam illam irritat exſpirationem. In tuſſi namque omni conatus eſt expellendi cum exſpirato aëre, quicquid prædictæ tuſſi reſpitationi ſaltem difficiliori anſam præbet. Eſt autem conatus ille validus & exſpirationi quidem conjunctus. Eſt præte-

[P]ræterea conatus idem ſubitus & citæ
[e]xſpirationi junctus. Accidit tuſſi omni
[v]ocis peculiaris contentio & elevatio,
[&] non rarò interruptio. Accidit eidem
[t]uſſi minor vel major corporis agitatio
[ſ]ive concuſſio. Ex quibus omnibus pa-
[t]et 1. omnia exſpirationi miniſtrantia
[o]rgana & ſimul & confeſtim & validè
[m]overi & quodammodo contrahi, ſed
[c]ontractione momentanea, non perdu-
[r]ante uti in verâ fieri ſolet convulſio-
[n]e. 2. Cauſam eſſe urgentem, quæ
[t]uſſim excitat, coactam. Sunt enim duæ
[t]uſſis ſpecies, 1. coactè alia voluntariè
ſive ad tuſſim excitetur ſimul anima &
cauſæ tuſſim excitantis excuſſionem
probans eandem promoveat, ſive ipſa
non attendente aut etiam reluctante,
contingit nihilominus tuſſis. 3. Quic-
quid ad ſubitam organorum omnium
reſpirationi ſervientium contractionē
irritare poteſt aut cogere, id omne eſſe
poſſe tuſſis cauſam. 4. Per conſenſum
cum tuſſi vocem intendi & rarò poſſe
coërceri. 5. Corporis concuſſionem
itidem trahi in conſenſum & rarius
poſſe inhiberi. Ad tuſſim autem exci-
tant omnia, quæ 1. bronchia pulmo-

num

num ingreſſa eadem aut mordicant, & vellicant aut nimium replent. 2. Quæ in pulmonum parenchymate aut vaſis potius contenta forinſecus bronchia pulmonum angunt, aut aliâs vellicant ad ſubitam illam & violentam organorum omnium exſpirationi ſervientium contractionem. 3 Quæ cætera præter pulmonem exſpirationi ſervientia organa ad ſubitam illam omnium contractionem irritare aut cogere poſſunt. Vellicant bronchia pulmonum omnia omnis generis acria, ſive lixivioſo ſale, ſive ſpiritu acido abundent. Eadem bronchia citra vellicationem nimium replent humores pituitoſi undecunque in bronchia delati. In pulmonum vaſis continentur & 1. pulmonum bronchia angunt ſanguis tam redundans quàm flatibus plenus. 2. Eadem vellicant vel ſanguis acrimoniæ particeps vel acrem humorem, vaporem flatumque continens. Pulmone illæſo ad tuſſim irritantur ſervientia reſpirationi organa reliqua muſculoſa ab omnibus acribus illa rodentibus & mordicantibus, ſale lixivioſo ſpiritu ve acido.

Curabitur 1. tuſſis à lixivioſo ſale prædi-

prædiris & bronchia pulmonum poſt ingreſſum mordicantibus atque ad expulſionem irritantibus , per ſubacida, oxymel tam ſimplex quàm compoſitū ſeu ſcylliticum , ut & per ſuboleoſas emulſiones ex ſeminibus papaveris albi, frigid. maj. dictis , hordeo mundato, amygdalis dulcibus & ſimilibus paratis, hiſque affines pillulas de cynogloſſa. Curabitur 2. tuſſis ab acido ſpiritu in pulmonis bronchia delato , & ipſa mordicante atque irritante per medicamenta ſale lixivioſo obtuſiore conſtantia, oculos cancri, corallia, & ſimilia aliis pectoralibus juncta, ut & prædictas emulſiones. Curabitur 3. tuſſis ab humoribus pituitoſis bronchia pulmonum replentibus ſicque anguſtiam parientibus, & ad ſui per tuſſim exſcreationem imitantibus, per medicamenta incidentia & attenuantia tam ſine quàm cum aciditate parata , decocta puta & ſyrupos ex radicibus aperientibus dictis, herbis pectoralibus, hyſſopo, capill. ♀r. & cæteris confecta, ut & oxymel utrumque modò recenſitum & ſimilia. Præſervat. cauſa uſurpabuntur etiam medicamenta eoſdem humores

in corpore reſtagnantes blandè evacuantia & ne ad pulmones tandem deferantur, impedientia. Curabitur 4. tuſſis à ſanguine in pulmonis parenchyma effuſo & bronchia ad ſui excuſſionem irritante, corrigendo ipſius acrimoniam qualemcunque & impediendo ejuſdem coagulationem, hinc & corruptionem per oculos cancri, myrrham, ſperma ceti, mumiam & ſimilia, & reſolvendo eundem per eadem diutius continuata vel copioſius exhibita, jungendo blanda ſudorifera, citra tamen ſudoris coactam propulſionem; & promovendo ejuſdem ſuppurationem, quando impedire amplius nequit, per emollientia: Radices & folia altheæ, Malvæ &c. flores ſambuci, farinam hordei, lini &c. & urgendo denique promptam ejuſdem expectorationem hinc & ulceris mundationem atque conſolidationem per decocta vulneraria therebintinata omnia, ac inprimis balſ. Sulphuris.

Sanguis flatulentia peccans vel flatu turgidus indicat medicamenta & flatuum materiam pituitam qualemcunque emendātia & efficientem bilem corrigen-

gentia & flatus ipſos diſcutientia, carminativa dicta, ex ſeminibus præſertim petenda & variis modis uſurpanda.

De Sternutatione.

STernutatio eſt coacta & valida aëris exſpirandi per nares præſertim cum quibuſdam circa lateralium cerebri ventriculorum concurſum hærentibus humoribus excuſſio, vociferationi atque violentæ corporis univerſi concuſſioni juncta.

Excitatur autem ad ſternutationem exſpirationi ſerviens vis à cauſa quacunque vel nares vel lateralium cerebri ventriculorum concurſu ſitas partes irritante & non tam dolorem, quàm moleſtam & dolori proxime accedentem titillationem ibidem exiſtente. Hujus ſternutationis & internæ & externæ obſervantur cauſæ. Et internæ quidem, vapores acres ſurſum aſſurgentes & nares mordicantes & quandoque ipſum cerebrum aut partes recenſitas quibus addi debet profundæ me-

ditationi, quàm nonnunquàm ſuperveniens ſternutatio, in quâ putem idem moveri humorem bilioſum, ut ab ipſo cum aliis efferveſcente eleventur vapores acriores, quid ad cerebrum delati dictam excitant irritationem. Externæ ſternutationis cauſæ ſunt omnia acria nares ſubeuntia & vehementius titillantia, ut & lux ſolis fulgida, quo & nivis in longum latumque expanſæ albedo, ſolis ſplendorem augens plurimum facit, oculis moleſta & cum lachrymis ſternutationem movens. Curabitur ſternutatio 1. ſi cauſa antecedens omnis præcaveatur fugiendo externam & emendando aut eliminando internam. 2. Si motus ille concuſſionis violentus cohibeatur, aut infringatur, quod aliquando fieri poteſt compreſſo ſpiritu & ad tempus exſpirationem inhibendo.

De Singultu.

Singultus à Medicis pleriſque pro ventriculi, à Platero autē pro diaphragmatis affectu habetur, Ego quoniam omni

tempore ad voluntatis nutum excitari poteſt ſingultus, eum non poſſum pro ventriculi habere affectu, quandoquidem illius motus purè naturalis eſt, minimè voluntarius. Perpendent inſuper in omni ſingultu forâs propelli ventrem, quemadmodum fieri ſolet in fortiori inſpiratione, omninò cum Platero judico diaphragmatis affectũ eſſe ſingultum. Cumque in ſingultu ſubitò accidat ille motus diaphragmatis convulſivus interrumpens ad momentum reſpirationem vel potius exſpirationem. Diaphragmatis enim motus quoniam inſpirationi inſervit, meritò inter reſpirationis læſæ ſpecies enumeratur ſingultus. Cauſa vero ſingultus eſt omne id, quod ſubitam ſui contractionem diaphragma poteſt irritare. Quoniam autem non perſeverat contractio verùm mox remittit, cauſam illius irritationis proximam mobilem eſſe nec parti affectæ affixam patet.

Interim frequentiſſima ſingultus cauſa in ventriculo videtur contineri, aut ſaltem ad ventriculum deferri, atq; orificium illius ſuperius malè afficiendo & mordicando in conſenſum trahe-

re ipſum diaphragma. Atque hæc videtur ratio, propter quam pro ventriculi affectu habitus ſit à pleriſque ſingultus. Quamvis autẽ à materia in ventriculo hærente aut ad ventriculum ruente atque orificium ejuſdem ſuperius rodente atque adeò moleſtiam ibidem pariente, excitaretur ſemper ſingultus, non ſequeretur tamen eſſe ipſum ventriculi affectum, verùm dolorem ſive moleſtiam duntaxat eſſe in ventriculo quem excipiat & ſequatur ſingultus. Eſt enim ſingultus ſymptoma in motu animali, læſo & convulſivo, hujus cauſa continens ſive morbus ſunt ſpiritus animalis inordinatè ac præcipitanter, imò copioſius ad diaphragma confluentes, & convulſivum illum motum ſingultus producentes.

Hujus autem morbi ſive ſpirituum animalium abundantius, præcipitantius atque inordinatius affluentium cauſa eſt moleſtia ſive dolor in orificio ventriculi ſuperiore obortus. Quæ moleſtia licet ſit per ſe ſymptoma in actione ſenſus externi læsâ, eſt illa nihilominus itidem cauſa morbifica. Hujus verò doloris vel moleſtiæ cauſa rurſus

eſt

eſt humor vel vapor aëris orificium illud ventriculi ſuperius mordicans. Qui humor vel vapor aëris quatenus dolorem parit morbus dici poteſt niſi quis malit orificium ventriculi ab ipſo malè affectum habere pro morbo & hinc vaporem vel humorem acrem pro cauſa morbifica. Qualis autem iſte humor vel vapor ſit, ex aliis ſignis aliunde petendis patet, ex ſapore puta, ſi ſimul ructu, aut vomitu ſe manifeſtet & cæteris. Curatio ſingultus ipſius quoties non uſque adeò fortis exiſtit, obtinere ſola compreſſione aëris inſpirati, ſuppreſsâ ſcilicet quouſque licet ſemel aut ſæpius ejuſdem exſpiratione, unde non rarò brevi in me & in aliis obſervavi curatum & devictum ſingultum. Hâc ratione ſi non ſuperetur ob cauſam fortius diaphragma urgentem tunc educenda vel emendanda erit cauſa, humor vel vapor ab humoribus aſſurgens. Pro humoris autem humorumve diverſitate medela inſtituenda erit, varia humori namque bilioſo ſua debentur remedia, pituitoſo ſua, acido ſua, & ſic de cæteris, quæ videantur in Platero. Tom. 1. lib. 2. cap. 5.

De Aſthmate.

Aſthma eſt reſpiratio difficilis, anheloſa, frequens ac ſerrata. Hinc plerunque comes eſt tuſſis & quandoque ſtertor & fiſtulatio, non tamen ſemper. In aſthmate omni obſervatur reſpiratio difficilis, cujus difficultas in eo conſiſtit præſertim quòd ſit anheloſa, qualem ex motu vel curſu nimio defatigato trahere ſolent, fitque ſerræ inſtar aëris attractio & expulſio quæ cùm naturali minor exiſtat, excitatur frequentior, ut frequentia compenſet paivitatem & quoties valdè intenditur difficultas prædicta, ſtertor ſimul auditur & fiſtulatio, quibus quoties accedit tuſſis ûbi aliquid ipſa excernitur, levari videtur aliquantum, ubi nihil gravari malum. Aſthmatis enim cauſa exiſtit omne id quod facilem pulmonum expanſionem contractionemque impedit. Utramque pulmonum motionem,

expanſionẽ & contractionem conjungo, cum alterutra impedita, impediatur ſimul & altera niſi enim ſatis & facilè expandi queat pulmo, difficilis erit reſpiratio, & vice verſâ, niſi ſatis & facilè coarctari queat idem pulmo, itidem difficilis erit reſpiratio, adeò ut duas primarias aſthmatis ſuſpicer ſpecies, alteram quidem ab impedita pulmonum expanſione, alteram verò ab impeditâ eorundem contractione ortam. Satis & facilè expandi nequeunt pulmones, 1. quoties humoribus pituitoſis lentis ac viſcidis infarcta ſunt bronchia ipſorũ. 2. Quoties ſimilibus humoribus infarctum eſt eorundem parenchyma. Satis & facilè contrahi nequeunt pulmones, 1. quoties flatibus viſcidis inflata, vel ſanguine repleta ſunt ipſorum vaſa, hinc & diſtentum totum parenchyma. 2. Quoties humoribus viſcidis, uti modò dictum, infarctum eſt ipſorum parenchyma adeò ut parenchymatis infarctio ab humoribus craſſis & viſcidis cauſa ſit & expanſionis & contractionis pulmonum impeditæ, bronchiorum autem infarctio ab humoribus viſcidis expanſionis dunta-

rat, vaſorum verò diſtentio à flatibus viſcidis vel ſanguine contractionis tantùm impeditæ qui flatus cum ortum habeant ex humoribus viſcidis, ſed à bile agitatis in omni ferè aſthmate cauſa propinquior aut remotior erit humor pituitoſus & viſcidus rarius ipſe ſanguis. Unde primaria in aſthmate curando indicatio petetur plerumque ab humore viſcido & pituitoſo. Sic humor pituitoſus oritur utplurimum à minus fermentato alimento, ſeu ipſius alimenti hoc fiat culpâ, ſive minus, vel plurimum in corpore ad fermentationem abſolvendam requiſitorum vitio, à quorum idcirco emendatione ſperanda inprimis aſthmatis perfecta curatio.

Paroxyſmus ipſe curabitur ſublatis ex pulmonibus pituitâ, flatibuſve pituitoſis aut ipſo ſanguine in bronchiis hærens, pituita educenda per expectorationem. In ipſo parenchymate reſtagnans pituita difficilius, nec niſi temporis tractu inde removeto. In vaſa protruſus flatus viſcidus facilè diſcutitur, dummodò ne novus accedat caveatur. Cavebitur id educendo, emendandove humorem pituitoſum flatuum materiā præ-

præbentem, ac in tenuibus inteſtinis hærentem ferè, atque ad bilis affluxum in flatus abeuntem. Hæc autem omnia quomodo perfici queant diximus non ſemel. In vaſis hærens ſanguis tollendus eſt venæ ſectione.

De Phtyſi.

PHtyſis eſt exſcreatio purulenta ex pulmonis ulcere orta, præter tuſſim febrem comitem habens lentam hecticam, ideoque tabem vel aliter. Phthyſis eſt tabes ex pulmonis ulcere propriè orta, quâ differt à cæteris tabis ſpeciebus. Quicquid proinde ulcus in pulmone aptũ eſt excitare id omne phthyſeos eſſe poteſt cauſa, ſive ſit materia acris in bronchia delata, & ipſa hinc & pulmonum ſubſtantiam erodens, ſive inflammatio pulmonis ſuppurata, ſeu vas in pulmone ruptum, nec denuò conſolidatum, verum in ulcus degenerans, aut alia quævis cauſa, ulcus in pulmo-

pulmone faciens. In ulcere autem omni materia reperitur magis vel minus acris, partem ulceratam magis vel minus corrodens, ac ſenſim aut confeſtim depoſcens, & quidem nunc de ſale lixivioſo, nunc de ſpiritu acido, nunc de utroque participant, ſive talis eò affluat ſive talis ibidem fiat ex ſanguine ad partis nutritionem affluente. Debetur autem acrimonia omnis in humano corpore obſervabilis vel alimentis, medicamentis aut venenis talibus aſſumtis, vel aëri acriori inſpirato, aut forinſecus per poros penetrant, vel animi corporisve motibus, mediocritatem excedentibus, vel vigiliis protractis, aliisve ſimilibus diætæ vitiis, unde nunc ſubminiſtratur corpori res acris, nunc vitiantur humores in corpore exiſtentes, atque peremit, ſecedunt ſaltem partes temperantes cæterarum acrimoniam. Tuſſim excitant humores prædicti, dum irritant partes pulmonum ſenſiles ad ſui excretionem. Phthyſin enim comitari ſolet febris & quidem lenta, continua, ortà meo ſaltem judicio ab eâdem peccantis in ulcere humoris acrimoniâ, ſanguini per pul-

ulmones circulanti admiſta, & cum
pſo ad cordis ventriculos penetrante
losque ad frequentiorem ſui contra-
tionem irritante, ac ſenſim univerſum
anguinem hinc & omnia ex ſanguine
aranda, bilem ipſam & ſuccum pan-
raticum inquinante, unde etiam 3.
el 4. à paſtu horis excitari ſolita fe-
ricula hectica originem ſuam meritò
lucere cenſetur.

Tabes ſequitur ſanguinem ab acri
umore ipſi permiſto ad partes nutri-
ndas minus aptum. Unde patet quem-
dmodum omnia phthyſeos comitâtia
nala ortum habent ab humorum acri-
noniâ, ita curæ primarium conſiſtere
n humorum eorundem acrium con-
emperatione ac quoties opus eſt blan-
la evacuatione. Hinc proximum eſt
lceris mundatio & conſolidatio, his
nim præſtitis ſponte ceſſabit febris,
uſſis, purulenta exſcreatio & tabes.
Acrimoniam verò phthyſeos cauſam
enſeo eſſe ſalis lixivioſi non ſatis tem-
erati, quapropter judico, illi tem-
erando inſervire ante omnia ſpiritum
volatilem & oleum pauciſſimo ſpiritu
acido unitum, & quidem in ſale vola-
tili

tili blando, cujus ope ſuſpicamur & ferè opinamur feliciſſimè abſolvi poſſe phthyſeos curam.

De Morbis malignis, in ſubitâ virium dejectione conſiſtentibus.

SI quis Medicos Practicos vel à Practicis ſua mutuantes Authores conſulat, comperiet pro malignis morbis eos haberi, qui ſubitò ac præter expectationem ægrorum vires dejiciunt, atque ſimul ipſos ut plurimum è medio tollunt.

Adeò ut malignitatis materia ſe patefaciat plerumque ac præcipuè in non expectata ſubitaque in morbis quibusvis virium dejectione, aliquando verò in aliis ſymptomatibus gravibus eoſdem morbos aliàs non comitari ſolitis. Unde inſuper patet malignitatem non conſtituere peculiare morbi genus, ſed jungi aliis morbis redderéq; ipſos malignos

gnos. Malignis autem morbis co-
juncta virium ſubita proſtratio, pulſu
)lo dignoſci poteſt, utpote qui tunc
arvus, ideoque languidus exiſtit,
um reliquæ functiones omnes ſatis
onſtant. Quærenda proinde prima-
ia malignitatis cauſa, in eo quod per
: pulſum parvum hinc & languidum
fficere poteſt. Illud autem non in-
otefcet ni prius conſtet de veris pul-
ıs omnis cauſis. Quapropter unicui-
que ſuæ opinionis probationem com-
nittens, quænam ſecundum pulſus
auſas à me aſſignatas vera pulſus par-
i & languidi adeoque malignitatis
eſſimæ cauſa mihi videatur paucis
roferam. Obſervandum autem pul-
um in malignis morbis occurrentem
rimariò non tam languidũ eſſe quàm
arvum, quoties autem parvus exiſtit
ulſus, idem ſemper reperitur ſimul
anguidus, niſi enim expendatur de-
ritè arteria in pulſu, qui tunc parvus
licitur non ſentietur quoque vis qua
ropellitur per arterias ſanguis, dice-
urque ideò languidus, fortius autem
enſim robur, quam magnitudo pul-
us.

Paucis

Paucis. Pulſus malignitatis comes parvus atque ideò ſimul languidus ortum habet à ſanguine minus rarefacto in cordis ventriculis, ac proinde minus expandente eoſdem ventriculos minusque ad ſui contractionem eoſdem irritante.

Minus rareſit ſanguis in malignis morbis laborantium corde, non ex defectu ignis interni cordis, aut ejus quod ignis vocatur non ex aucto renixu & tenacitate ſanguinis nimia, verùm ex minore potius ſanguinis renixu ac tenacitate.

Quemadmodum enim conſiſtentia conveniens requiritur in ſebo, vel cerâ, ut candelæ forma ſuſtineat flammam, ita certa conſiſtentia deſideratur in ſanguine ut ſuſtentandæ vitæ convenienter rarefieri queat in cordis ventriculis, quæ ſi perierit conſiſtentia ſufficienter rarefieri nequibit ſanguis, quin imò ab ipſo fluidiore obruetur & extinguetur ignis cordis, ſicque inexpectato morietur homo, uti fieri non raró ſolet in malignis morbis. Conſiſtentiam veró ſuam cenſemus ſangui-

nem

nem habere primariò à ſpiritu acido, quem putamus in morbis malignis vires ſubitò proſternentibus, ægrosque necantibus non tam deficere in corpore quàm enervari & invalidum reddi à ſpiritu aliquo volatili cum ſale lixivioſo pauco penitiſſimè unito & valde exaltato atque acri. Unde primarium malignorum morborum horumve remedium judicamus ad præcautionem ſeu præſervationem uſum frequentem acidorum & præſertim aceti ad cujus compoſitionem concurrit quidem ſpiritus volatilis, ſed à ſale & acido ſpiritu victus & vinctus & hactenus aptior ſpiritui volatili & ſalino p.n. conjungi & eundem forinſecus ferè accedentem itidem enervare, vincere & vincire. Ad curationem autem eundem acidorum & aceti uſum, ad enervati ſpiritus acidi reſtaurationem additis omnibus quæ ſimul figendi vim habent, nitrum puta, ejusque ſpiritum itidem acidum & hoc mediante parata varia bezoardicum ſcilicet minerale & ſimilia fixata, & alia quoque figendi vi pollentia.

FINIS.